

MARY
REED

MANHATTAN
BIBLE THE
ODDEST IN
THE WORLD

A

47

272



0

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15


16

A031 Main

G-I-J.

12
1-24





A031Mai

G-I-L

12
1-24

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL	
GRANADA	
Señal	A
Folio	17
10-22	272



FRANC. XAV. MANNHART

SOCIETATIS JESU SACERDOTIS

BIBLIOTHECA

DOMESTICA

BONARUM ARTIUM

AC ERUDITIONIS

STUDIOSORUM USUI

INSTRUCTA ET APERTA.

OPUS

SECULI NOSTRI STUDIIS AC MORIBUS

ACCOMMODATUM.

TOMULUS V.

DE MATHESI GENERATIM:
SINGILLATIM DE GEOGRAPHIA,
ARCHITECTONICA CIVILI AC
MILITARI, DEQUE ASTRO-

NOMIÆ PARTE

PRIMA.


R
1925



CUM PRIVILEGIO CESAREO.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
SUMTIBUS MATTHÆI RIEGER, BIBLIOP.
MDCCCLXII.

بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ



EPITOME
LIBRI IX.
DE
MATHEMATICIS
DISCIPLINIS.

CAPUT I.

ENCOMIUM ET IN-
DOLES MATHESIS.

§. I.

Dignitas, Necesitas, & Utilitas hujus Scientiae. — — — f. 3.

1.

Hac disciplina latissime patet per totam rerum universitatem. Complebitur Arithmeticam, Geometriam, Mechanicam.

Epitome Libri IX.

*Mechanicam, Opticam, Geographiam,
Architectonicam, Gnomonicam, Astro-
nomiam, Chronologiam, &c. iisdem fi-
nibus, quibus cælum & terra, circum-
scribitur. Utilis est, suoque modo ne-
cessaria tum ad Theologiam, Ju-
risprudentiam, Medicinam & Philo-
sophiam, tum ad artes alias liberales,
atque opificia. Academiæ & Colle-
gia Mathematica. Petri Rami, Pro-
fessoris Parisiensis, elogium de Ma-
thesi.*

§. II.

Idea & Indoles Matheseos.

II. *fot.... s.*

*¶ Est scientia quantitatis mensura-
bills, seu multitudinis & magnitudi-
nis. Ex Arithmetica & Geometria
origine sunt reliquæ species Mathesis.
Ejus difficultas hodie multum compla-
nata est.*

CA-

Epitome Libri IX.

C A P U T II.

HISTORIA MATHESES.

§. I. -- fol. -- 14.

O r i g o.

III.

*D*eus ipse Mathematicum egit in contendo mundo. Adamus posteros in ea instruxit: Abrahamus intulit illam in Chaldaeam & Ægyptum. Moses totius fere Mathesis peritum se ostendit in sacris libris suis, Prima periodus Matheſeos apud Chaldaeos. Altera apud Ægyptios. Armilla construenda in Ægypto magnis impensis.

IV. -- fol. -- 20.

Tertia periodus apud Græcos, inter quos præstantes Mathematici recensentur, eorumque præclara inventa producuntur. Ptolemæus Rex Ægypti Muſeum seu Gymnasium excitavit, e quo insignes Mathematici prodierunt.

Epitome Libri IX.

§. II.

Propagatio. fol. 27.

V.

~~M~~ - *Quarta periodus. E Græcia se propagavit Matheſis in Italiam, Arabiām, Persiam, aliasque orientales plagaſ. Primi, qui Romæ in Mathematicis admodum versati fuerunt.*

VI. fol. 33.

In Arabia maxime floruit Astronomia ſub Principibus Abdallam, Almano, Habash, &c. obſervationes cœli, & ſiderum commodiffimœ in Arabia obſer- renitatem aeris.

VII. fol. 35.

In Persia ſtudium hoc promoverunt ciuili. Monarchæ ac Reges. Annum ſolare ad rediam formam redegerunt, & reformandi Calendarii exemplum præbuerunt. Holagu Imp. Perficus ſpeculam Mathematicam exſtruxit.

VIII. fol. 37.

In Sinis exculta fuit Matheſis vetuſtissimis jam temporibus, & ab ipſis Monar-

Epitome Libri IX.

Monarchis. Simensium Mathesis reformata a Patribus Societatis. Tribunal Mathematicum, & insignis Machina.

IX. fol. 37.

In Europa florere cœpit sub Carolo M. & Friderico II. Imp. Rex Castiliæ Alphonsus insignis Mathematicus. Sylvester II. Pontifex ob Mathesis scientiam celebratissimus. Incliti quoque in hac scientia B. Hermannus Conradius, B. Albertus M. & Joannes a Bosco.

§. III. fol. 42.

Florentissima Ætas Mathesis.

X.

Quinta periodus. Seculo XV. Astronomiam instauravit Peirbachius, ejusque discipulus Joan. Mullerus, dictus Regiomontanus; tum Nicolaus Copernicus, Tycho Brache, Kepplerus, Galilæus, &c. Societates Regiæ Parisiensis, Anglicana, &c. ac Instituta Bonnoniense & Lipsiense, &c. plurimum hoc studium promoverunt.

Epitome Libri IX.

XI. fol. 49.

In regno Sinarum inventa melior & emendata Mathesis opera Jesuitarum. Asia tribunalia Mathematica in eodem regno, eorumque descriptio. Celebres in Europa Mathematici e Societate IESU.

XII.

Recensentur tum illi, qui integrum Mathesin libris suis complexi sunt: tum ii, qui compendia scripserunt.

CAPUT III.

**OECONOMIA MATHESES
UNIVERSÆ.**

§. I. fol. . . 60.

Arithmetica, Geometria, Trigonometria, aliæquæ species.

XIII.

Arithmetica est scientia numerorum. Gemina illius officia. Geometria est telluris dimensio. Extendit se ad lineas, superficies, & corpora. Dividitur in Longometriam, Planimetriam, & A-

Epitome Libri IX.

*& Stereometriam. Trigonometria re-
solvit triangula plana & sphærica.
Operatur per theorematum, problemata,
& tabulas. Mechanica versatur circa
machinas tum simplices tum compositas,
& circa motum ponderum. Aliqui
eam distinguunt a Statica. Hydrosta-
tica & Hydraulica versatur circa flui-
dorum pondera, tum inter se, tum
cum solidis comparata, & circa aqua-
rum adscensum. Aerometria est scien-
tia metiendi aerem, cuius proprietates
sunt fluiditas, elasticitas, & rarefactio
ac condensatio. Architectonica duplex
est, civilis & militaris : prior docet
fabricam ædificiorum, altera munimen-
torum : docet ichnographiam, ortho-
graphiam & scenographiam fabricæ.
Ad militarem pertinet Fyrotechnica.*

§. II.

*Optica, Astronomia, Geo-
graphia, Ec. - fol. - 70.*

XIV.

*Optica scientia ad sensum visus pertinet;
dividitur in Opticam, Catoptricam &*

Epitome Libri IX.

Dioptricam: huic sociatur Perspectiva. Astronomia est astrorum scientia. Dividitur in Sphaericam, Theoreticam, & Chronologicam. Prima explicat phænomena sideribus communia: secunda singulis sideribus propria: tertia init rationem temporis. Geographia est scientia dimetendi & describendi globum terraqueum. Agit quoque de mappis geographicis. Chronologia determinat tempus e mensura cursus cælorum, tum astronomicum, tum Ecclesiasticum, tum Politicum seu Civile. Ad hanc pertinet Calendarii constructio. Horographia seu Gnomonica est scientia delineandi horologia tam solaria quam siderea: variæ illorum species. Algebra est scientia, quæ ex quantitate nota dataque eruit incognitam ope æqualitatis. Dividitur in numerosam & speciosam. Vocatur divina algebra, estque inter alias species consideratione dignissima.

Epitome Libri IX.

CAPUT IV.

OECONOMIA MATHESIS
SPECIATIM CONSIDERATÆ, ET
QUIDEM PRIMO GEO-
GRAPHIA.

§. I. fol. ... 73.

Notitia Orbis terraquei.

XV.

Hæc ad nos peruenit triplici ratione.
1. *Notitia terrarum per peregrinationes primorum hominum, & per expeditiones bellicas Alexandri M. Romanorum & Parthorum.* 2. *Per Praecones divini verbi in Asia, Africa & America.*

XVI. fol. 84.

3. *Notitia aquarum per navigationes institutas. Prima navis Arca Noe. Primi Navitæ circa litora cursum tenuerunt: alii postea alto se commiserunt. Enumeratione navigationum per totum globum terraqueum institutarum.*

XVII.

Epitome Libri IX.

XVII. *fol. 83.*

Tabularum geographicarum, descriptionum, & globorum origo. Primi historiam geographicam considerunt e sa- cris Moses, e profanis Homerus: secuti sunt Græci & Latini. Recensentur nomina Geographorum insignia tam Veterum quam Recentiorum.

§. II. *fol. 93.*

Divisio & Indoles Geographiae.

XVIII.

Partitio Mathematica fit per circulos, quibus cœlum & terra quasi connectun- tur: Physica vero partim per divisionem, quam natura, partim per eam, quam ar- bitrium humanum facit: Politica, quam iura & pacis fœdera præscribunt. Di- ditur ulterius in Veterem, Medium, & Novam. Quomodo globus terraqueus ad Matheſeos & Politicæ leges fuerit com- positus. Explicantur partes omnes globi. Sphæra ab Empedocle primum constru- ûta: globus vero a Ptolomæo Pelusio fa- bricatus dicitur.

§. III.

Epitome Libri IX.

§. III.

Mappæ Geographicae fol. ... 105.

XIX.

Orbis terrarum quomodo divisus fuerit a Noemi posteris. Aliæ divisiones rudes & mendosæ Veterum. Detectio per itinera maritima orbe terrarum mappæ geographicæ emendatæ prodierunt: idem contingit cum mappis hydrographicis, quæ inventa pyxide nautica, & rosa ventorum nunc satis exactæ sunt.

§. IV. - *fol. ... 114.*

Prima Periodus orbis habitati.

XX.

Paradisi locus. Regio, ubi habitaverunt primi parentes e paradyso ejecti, circa Damascum. Familia Adami extendit se per vicinas regiones. Post diluvium & divisionem gentium Cham Africam, Iaphet Europam, Sem cum suis insedit Asiam, &c.

XXI. *fol. ... 119.*

Semi filius primogenitus Elam occupavit Persiam: secundogenitus Assur Assyriam:

Epitome Libri IX.

riam : tertius Arphaxad Chanaan :
quartus Lud Natoliam : quintus Aram
Mesopotamiam.

XXII. *fol. . .* 121.

Chami filius primus Chus Aethiopiam :
secundus Mesraim Aegyptum : tertius
Phut Mauritaniam : quartus Canaan
regionem ejusdem nominis.

XXIII. *fol. . .* 122.

Japheti filius primus Gomer Aleman-
niam : secundus Magog Tartariam : ter-
~~tertius Madia~~ *Medium : quartus Javan*
Græciam : quintus Tubal Hispaniam :
sextus Mosoch Moscoviam : septimus Thia-
ras Thraciam.

§. V. *fol. . .* 125

Secunda Periodus orbis habitati.

XXIV.

E u r o p a.

Nomini, quibus Europa universa con-
tinetur : Ejus longitudo & latitudo. Di-
visio Europæ in hac secunda periodo, sci-
licet

Epitome Libri IX.

licet Terræ continentis in Hispaniam,
Galliam, Germaniam, Vindeliciam,
Rhætiam, Italiam, Noricum, Panno-
niam, Illyricum, Græciam, Macedoniam,
Thraciam, Mæsiam, Daciam, & Sar-
matiam : Insularum vero in Oceano, in
Britanniam majorem & minorem, Hy-
berniam, Thule, in Baleares, Siciliam,
Sardiniam, Corsicam, Cretam, &c.
Populorum inhabitantium brevis descri-
ptio.

XXV.

A s i a . . . 138.

Divisio Asiae in Majorem, quæ Sar-
matiam, Scythiam Asiaticam, Sericam,
Sinas, Indianam cum adjacentibus Insu-
lis, Persiam, Parthiam, &c. Et in
Minorem, quæ Phrygiam, Myssiam,
Lydiam, Cariam, Æolidem, Jo-
nian. Doridem ac insulas Cyprum &
Rhodium complectebatur. Asiae longi-
tudo & latitudo. Singula breviter de-
scribuntur.

XXVI.

Epitome Libri IX.

XXVI.

Africæ a.fol... 143.

*Africæ limites: ejus longitudo & lati-
tudo. Dividitur in regiones: Ægyptum,
Cyreniacam, Africam minorem, Gara-
manticam, Numidiam, Mauritaniam, Ge-
tuliam, Libiam interiorem, Arabiam,
Troglodyticam, & Æthiopicam. Singu-
larum brevis descriptio.*

§. VI.... fol... 146.

Tertia Periodus orbis habitati.

~~• 261~~ ... fol... XXVII.

*Caroli M. ætate totus quasi orbis ter-
rarum aliam faciem induit, maxime Eu-
ropa, ejusque regna, Hispania, Gallia,
Britannia, Italia, Dania, Suecia, Russia,
Polonia, Germania. Postmodum &
America detecta.*

XXVIII. ~~fol. -- 147.~~

E u r o p a.

*Tria modo numerat Imperia: Roma-
no-Germanicum, Russicum, & Turci-
cum:*

Epitome Libri IX.

Quatuordecim Regna: Portugaliam, Hispaniam, Galliam, M. Britanniam, Daniam, Sueciam, Germaniam, Borussiam, Poloniam, Bohemiam, Hungariam, Neapolin, Siciliam, Sardiniam: Respublicas majores quatuor, Hollandiam, Helvetiam, Venetam, Genuensem. Præter hœc Dominium Romani Pontificis in Italia. Respublicas minores, Principatus, Landgraviatus, Comitatus; Baronatus plurimos. Regnum singulorum brevis descriptio. Europæ tribuuntur centum millions incolarum.

XXIX.

A si a. - fol. - 157.

Universa nunc dividitnr in Tartariam Magnam, in Imperium Turcicum, Persicum, Mogolicum, Chinense, Japonicum: in Indiam extra E& intra Gangem, ac insulas ortum versus adjacentes. Singulorum brevis descriptio. Asiae tribuuntur quingenti millions incolarum.

XXX.

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. IX.

Epitome Libri LX.

XXX.

fol... 162.

A f r i c a.

Dividitur modo in tredecim Regiones Majores: in Barbariam, Biledulgerium, Desertum Saara, Nigritiam, Guineam, regnum Nubiæ, Imperium Abyssinum, regnum Ægypti, Imperium Monæmugorum, regnum Cungo, oram Zanguebariam, regnum Monomotapæ, & oram Cafriam. Brevis singulorum descriptio. Africæ tribuuntur centum millions incolarum.

XXXI.

fol... 166.

A m e r i c a.

Inventa est anno 1492. a Christophoro Columbo, & magis detecta an. 1497. ab Americo Vesputio. An America priscis fuerit incognita? Ejus longitudi & latitudo. Dividitur in partem Borealem, & Australiem. In Boreali sunt regnum Mexicanum sive Hispania nova, Novum Mexicum, California, Regio Louisiana, & Pentiliminis, Florida, Canada, seu nova Fran-

Epitome Libri IX.

Frāndia. Insulæ : Cuba, Hispaniola, S. Joannis, Jamaica, Caribum, Lucayæ, Bermudes, Terra nova, &c. In Australi sunt Terra Firma, Guiana, regio Amazonum, Brasilia, Paraquaria, terra Magellanica, regnum Chile, regnum Peru. Insulæ : Salomonis, Isabellæ, duodecim Apostolorum, &c. Brevis singulorum descriptio. Americæ tribuuntur trecenti milliones hominum.

CAPUT V.

ARCHITECTONICA CIVILIS.

§. I. - - - fol. - - - 177.

Ejus Primordia.

XXXII.

*S*cientiā hæc est nata nascente mundo. Primorum parentum & posterorum tuguria & casæ omnino rudes : uti & apud alias gentes barbaras : successerunt parietes e gleba & furcis : demum tecta ex arundinibus & frondibus. Vitruvii descriptio Architectonicæ progredientis.

Epitome Libri IX.

§. II.-*ad. - 154.*

Primi Architecti.

XXXIII.

Primum Architectum Poetæ faciunt Vestam Saturni filiam : Historici Doxium Gellii filium, Euryalum, & Hyperbium, &c. Civitatem primam struttam fuisse tradunt a Cecrope : primum templum ab Epimenide Cretensi, aut Pythio. Sed S. Scriptura docet, primum struxisse urbem Cainum. Turrim ædificarunt posteri Noemi. Templum primum Deo vero erexit Salomon. Deus ipse docuit homines Architecturam in Arca Noe, in Tabernaculo Mosis, & in Templo Salomonis.

§. III.-*ad. - 191.*

Structura hominis fundamen-tum Architectonicæ.

XXXIV.

Proportio & mensura fabricæ, ejusque partium optime desumitur ex humani corporis structura. Ostenditur proportio mem-

Epitome Libri IX.

*membrorum in homine, ac triplicis conti-
gnationis mensura. Vitruvii hac de re
deditum.*

§. IV... fol.... 195

*Arca Noe profanarum adium
Idea.*

XXXV.

*Desribitur fabrica Arcæ e S. Scri-
ptura, & hujus Interpretibus. Ejus stru-
ctura interior: Cubilia, & tres conti-
gnationes cum tecto.*

§. V. fol.... 200.

*Tabernaculum Mosis ac Tem-
plum Salomonis, sacrarum Ædium
Idea.*

XXXVI.

*Deus ipse dictavit structuram taber-
naculi Mosaici:*

XXXVII. fol.... 206.

*Idem designavit ideam templi Salo-
monici: utrumque describitur secundum*

Epitome Libri IX.

*omnes sui partes, & proponitur tanquam
forma sacrarum Aediarum.*

§. VI. fol. - 232.

*Architectonica propagatio apud
varias gentes.*

XXXVIII.

*Post templum Salomonis Tyrii cœperunt struere palatia & tempta : tum
Ægyptii ingentis molis machinas, qua-
rum rudera adhuc supersunt : denique Ro-
mani superba œdificia moliti sunt, destru-
cta postmodum a barbaris. Vitruvius
Architectorum princeps : alii præclari
Architecti recensentur.*

§. VII. - fol. - 238

Præclara Architectura Opera.

XXXIX.

*Augustus Cæsar Romam lateritiam in-
venit, & marmoream reliquit. Secuti sunt
alii Imperatores, qui Romam exornarunt
splendidis publicis œdificiis, item Constan-
tinus M. Theodosius Ostrogothorum
Rex, Post Carolum M. multum Ar-
chite-*

Epitome Libri IX.

chitecturam promoverunt Pontifices Leo III. Leo IV. Pius II. Romanos æmulati sunt Galli, Hispani, Angli, Belgæ, & Germani.

XL. fol. 223.

Seculo XIV. post Pontificum in urbem redditum, & eruta e terris vetera monumenta cœpit Architecturæ studium reflorescere. Sixtus IV. alter Romulus pontem Tyberinum struxit, &c. Veneti Basilicam S. Marci. Philippus II. Escuriale. Sixtus V. plurima opera publica. Paulus V. perfecit Vaticanam Basilicam: descripsio hujus fabricæ, ac insignium Architectorum, Pictorum, aliorumque ornamento rum, quæ in ea continentur. Alia Romæ opera Architectonicæ insignia.

§. VIII. fol. 230.

Methodus Architectandi.

XLI.

Architectonica Civilis est scientia, quæ docet ædificia firma, commoda, & ornata construere: alia sunt ædificia publica, alia privata. Partes ædificii sunt tres: Fun-

da-

Epitome Libri IX.

damentum, Structura, Tectum. Explicatur, quid sit Idea, Fulcrum, & Ordo; quid Modulus.

XLII. fol. 237

¶ ... Firmitas Structura.

Ad structuræ firmitatem requiruntur: materiae delectus, struendi methodus, fundamenti jaciendi ratio, tecti fabrica. Singula explicantur. Regulæ Veterum circa muros struendos.

XLIII. fol. 244.

Commoditas Structura.

Ad hanc pertinent: Situs & figura ædium: amplitudo, dispositio conclave, lumen, fenestræ, januæ, fornaces & camini, scalæ & loca secretiora: singula hæc explicantur.

XLIV. fol. 252.

Venustas Structura.

Duplex est venustas, una interior, quam dat symmetria & proportio membrorum ac partium inter se & ad totum: alia exterior,

Epitome Libri IX.

terior, quam conciliant picturæ, laquearia, portæ, aliave ornamenta. Differitur de quinque ordinibus Architectonicis, scilicet Tuscano, Dorico, Jónico, Corintiaco, Romano, quibus accedit sextus Teutonicus.

C A P U T VI.

ARCITECTONICA MILITARIS.

§. I. 263.

*Origo, Progressus, & Terminus
... Natura munitionis.*

XLV.

Cupiditas & avaritia invexit bella & munitiones in mundum: priscis jam temporibus urbes & oppida muniebantur ab invasis hostium. Munitio hæc admodum rudit erat, sed semper magis perfecta fuit. Arietes aliæque machinæ, ac postremo pulvilli præmissi promovit hanc artem militarem.

XLVI. 265.

De muris & turribus variorum munitorum: diversæ illorum formæ pri-

Epitome Libri IX..

*scis temporibus: turrium loco successerunt
propugnacula.*

§. II... fol. ... 273.

*Nova Munitionis partes, voca-
bula & fundamenta.*

XLVII.

*Munimenta alia sunt regularia, alia
irregularia. Tres classes Architectonicæ:
Ichnographia, Orthographia, Scenogra-
phia.*

XLVIII. fol. ... 280

*Opera munimenti alia dicuntur inter-
na, alia externa: utrorumque termini &
fundamenta tum quæ ad lineas, tum quæ
ad angulos pertinent, exponuntur.*

XLIX. fol. ... 285.

*De Orthographia, Termini Orthogra-
phiæ, eorumque explicatio.*

L. fol. ... 288.

*Fundamenta Orthographiæ secundum
eius partes scilicet propugnacula, valla,
fossas & loricæ: horum demonstratio.*

§. III.

Epitome Libri IX.

§. III. *fol. - - - 233.*

Nova Munitio[n]is methodus.

LI.

Duplex est methodus, una delineandi munimentum in charta, altera designandi ipsum munimentum in campo. Scala geometrica : methodi muniendi e multis meliores : Belgica & Gallica.

fol. - - - 300.

Examinatur, qualis situs pro construendis munimentis sit optimus, an locus ad situs monti, an planus, an fluvio adjacens. Proponuntur commoda & incommoda. De arcibus seu castellis.

§. IV. *fol. - - - 305.*

*Obsidio & Defensio munimenti
priscis usitata.*

LIII.

Hujus rei notitia est necessaria ad intelligendos scriptores veteris historiae. Machinarum bellicarum usus vetustissimus. Quatuor classes machinarum 1. Ad elundandum in muros. 2. Ad infestandos osseos.

Epitome Libri IX.

*§. 3. Ad cuniculos agendos. 4. Ad
subvertenda mœnia.*

LIV. *313.*

*Modus priscis usitatus in obsidenda &
defendenda urbe: primum obsidionis ge-
nus tumultuarium: secundum per bellica
instrumenta & machinas. Defensorum
variae artes & molimina.*

• 319.

*Obsidio & Defensio nostris tem-
poribus usitata.*

LV.

*Examinatur, an vetus bellandi ratio
nonentior fuerit hominibus, vel nova in-
vento pulvere pyrio. Tres classes adpara-
tus bellici hoc tempore: 1. Dum obsiden-
tes adpropinquant urbi, ubi de castrorum
munitione & fossis obsidionalibus. 2. Dum
urbs oppugnatur, ubi de tormentis &
mortariis bellicis, aliisque pyrotechnicis
instrumentis. 3. Dum expuguatur, ubi
de vineis, cuniculis, &c.*

LVI.

Epitome Libri IX.

LVI. fol. 327

*Desribitur obsidionis & defensionis
series tota.*

CAPUT VII.

ASTRONOMIA.

§. I.-fol. 332.

*Publica hujus Scientiæ Domiciliæ,
& præclara inventa.*

LVII.

*Astronomia mundo coœva est, & primas
obtinet inter alias scientias profanas.
Publicæ œdes in gratiam Astronomiæ
structæ Casellis, in Insula Huena, in Ha-
fnia, Parisiis, Norimbergæ, Lugduni Ba-
tavorum, Dorotheopoli in Marchionatu
Brandenburgico, Bonnoniæ, Altorsii, Pe-
troburgi, Viennæ, Pragæ, Græcii, In-
golstadii, & in aliis quibusdam Societatis
Jesu Collegiis; Lisbonæ, Peckini, cum
illarum descriptione.*

LVIII. fol. 341.

*Præclara inventa Astronomica: Horo-
logium Astronomicum Dasipodii Argen-
tinæ*

Epitome Libri IX.

tinæ: *detectione Comitum Jovis Marii in Franconia*, vel *Galilæi Florentiæ*: *detectione maculæ solis a Scheinero Ingolstadtii*: *Joannis Neperi canon Logorithmorum*: *Jeremiæ Horocii observatio Veneris per solem transeuntis*: *Lunæ facies detecta per Grimaldi*: *Hugenii observationes Saturni, ejusque satellitum*: *Cassini systema de iisdem*: *Hugenii pendulum*: *Cometarum systema novum a variis excogitatum*: *Machina planetarum cursum exhibens, fabricata Parisiis ab Olao Ræmero*: *Pancosmus Weigelii*: *Newtoni telescopium novum mirandum*: *Blanchini observationes Hesperi & Phosphori*: *Ephemerides cœlestium motuum per Flaminium de Mezavachiis, de la Hire, Manfredum, Marchionem Ghislerum*: *de horologiorum & telescopiorum inventione*.

§. II. - fol. 356.

Doctrina Sphærica.

MAC..... LIX.

Astronomi munus declaratur. Doctrina sphærica exponit phænomena de motu primo

Epitome Libri IX.

primis omnibus sideribus communis: Theoretica motum secundum, & sideribus proprium: Chronologica temporum ab hoc motu pendentium rationem.

LX. fol. 355.

Cæli Indoles ac Dotes.

De cæli substantia, colore & fluido illius corpore: de figura rotunda: de mole & mensura: de numero cælorum: de incolis, seu de planetis & stellis fixis.

LXI. fol. 367

Sphæra & Globus Cœlestis.

De circulis globi cœlestis, quorum aliqui immobiles ut Horizon & Meridianus: aliqui mobiles, ut Æquator & Zodiacus. Explicantur singuli circuli, eorumque munus. De sideribus, eorumque nominibus & figuris: De Asterismis seu Constellationibus, harumque numero: De stellis nebulosiss.

LXII.

Epitome Libri IX.

LXII. fol. --- 372

Explicatur motus primus seu communis, & panduntur ejus arcana.

.ccc... §. III.

Doctrina Theorica.

Atomos 6° LXIII.

Cæli Systemata. fol. 385.

Systema cæli est hypothesis ad sistemum, phænomena, & motus cœlestium corporum explicandos. Siderum matrone planetarum ordo, quis altero superior, quis inferior: Diversitas motuum. Explanantur systemata Ptolomaicum, Copernicanum, & Tychonicum. Systema Copernicanum S. Scripturæ contradicere demonstratur.

LXIV. fol. 398.

Motus Siderum proprius.

Motus siderum omnium & singulorum proprius super axem Zodiaci secundum seriem signorum: Motus proprius

Epitome Libri IX.

*prius singulorum planetarum peculia-
ris. Mirabilis harmonia motus pri-
mi & secundi. Alia arcana motuum
cœlestium,*

LXV. fol. 413.

Corporum cœlestium Phæ- nomena.

*Describitur natura solis ignea. Con-
stat partibus partim fluidis, partim
solidis. Figura ejus sphærica. Di-
stantia & magnitudo solis. Maculæ
solares, earumque phænomena: quid
rei sint hæ maculæ.*

LXVI. fol. 425.

*Describitur natura lunæ. Constat
partibus solidis & fluidis. Atmosphæ-
ra lunæ. Figura sphærica. Phases
lunæ. Distantia & magnitudo: Ma-
culæ lunares, earumque phænomena.*

LXVII. fol. 432.

*Eclipses solis & lunæ. Quomodo
& quando contingant. Phænomena
BIBLIOTH. DOMEST. LIB. IX. eclips-*

Epitome Libri IX.

eclipsi solari propria: re ipsa sol nunquam eclipsin patitur, sed terra obscuratur.

LXVIII. fol. 437.

Phænomena eclipsi lunari propria. Agitur de observatione eclipsium. Superstitiones Veterum in eclipsi Lunari.

LXIX. fol. 441.

Indoles ac proprietates quinque aliorum Planetarum: Mercurii, Veneris, Martis, Jovis, & Saturni.

LXX. fol. 447.

*Natura stellarum fixarum. Earum lux ipsis propria: scintillatio: numerus: discrimin ab Errantibus: distan-
tia & magnitudo.*

LXXI. fol. 455.

*Duodecim Cometarum species. Qui-
dam Cometae præter ordinem. Come-
tae nucleus & cauda. Colores. Du-
plex opinio de genesi Cometarum: quæ-
nam*

Epitome Libri IX.

*nam harum verisimilior. Prognosis
Cometarum.*

§. IV. fol. 468.

Doctrina Chronologica.

LXXII.

Tempus Astronomicum.

*Deus ipse condendo sidera, & motum
illis praescribendo auditor est temporis &
mensuræ. Aliud tempus est Astrono-
micum, aliud Politicum, aliud Eccle-
siasticum: alius dies Naturalis, alius
Artificialis. Mensis alius Solaris, Lu-
naris alius. Annus solaris Astronomi-
cus: Annus lunaris Astronomicus.*

LXXIII. fol. 473.

Tempus Politicum.

*Dies Politicus alius naturalis, alius
artificialis. Diei politici varia apud
varias gentes distributio. De horis
apud Chaldaeos, Babylonios, Italos,
Ægy-*

Epitome Libri IX.

Ægyptios, & Germanos. Hebdomas, Mensis, & Annus Politicus. Annus solaris Ægyptius, Julianus & Gregorianus. - Annus Correctionis sub Gregorio XIII.


LXXIV. A. 485.

Tempus Ecclesiasticum.

Hebdomas Ecclesiastica distributa in Ferias. Festa immobilia, & mobilia. Cyclus quid sit. Cyclus Epactarum. Cyclus Indictionis. Historia de correctione Calendarii: huic frustra se opposuerunt & opponunt Acatholici.



LIB. IX.



LIBER IX.

DE M A T H E S I.

C A P U T I.

E N C O M I U M E T I N - *D O L E S M A T H E S I S .*

§. I.

*Dignitas, Necesitas, & Utilitas hu-
jus Scientiæ.*

I.

Quanta sit Mathematicæ disciplinæ præstantia, ex eo licet, colligere, quod nihil sit adeo sublime, profundum atque impervium in hac rerum universitate, seu in cœlo, seu in terra, & quidquid intra horum ambitum continetur, ad quod Mathesis se non ex-
BIBLIOTH. DOMEST. LIB. IX. A ten-

tendat, idque ambobus velut brachiis, scilicet theoria & praxi, complectatur. Arithmeticā numerorum potestate, addendo, subducendo, multiplicando ac dividendo latissime in oris superis & inferis dominatur, multaque arcana detegit, ac veluti vaticinatur. Geometria ope longimetriæ, planimetriæ ac stereometriæ altitudines, superficies ac soliditates corporum omnium mensuris suis scrutatur. Mechanica per staticam, hydrostaticam, aerometriam, & hydraulicam solidorum æque ac fluidorum corporum motum & pondus certis legibus definit. Optica, Catoptrica & Dioptrica radios a quovis corpore diffusos seu directos, seu reflexos, seu refractos, ipsamque lucem & umbram conspectui sistit ac dimetitur. Astronomia in siderum, eorumque motus, magnitudinis & affectionum contemplatione tota est absorpta. Geographia & Hydrographia orbis ex terra & aqua compositi amplitudinem, fines, & regna, regionum & urbium distantiam, fluminum, marium & sinuum explorat situm, climata & indolem explicat, & hæc omnia in mappis ac globo delineata exhibet non sine maximo itinerum compendio. Architectonica Civilis & Militaris tum ideas ædifico.

fiorum ac numimentorum concipit, tum singula hæc rite struendi modum docet, partim ad commodam civium habitationem, partim ad eorum contra hostium incursiones tutelam. Gnomonica solis ac siderum cursum, hujusque mensuram ac temporis spatium in horologiis sciatericis ope gnominis umbræque projectæ fideliter signat, atque discriminat. Chronologia demum temporis rationes init, atque annum seu Astronomicum, seu Ecclesiasticum seu Politicum certis finibus concludit. Verum major omni encomio est utilitas hujus scientiæ:

*O quam juvabat, quo nibil majus
parens
Natura genuit, operis immensi ar-
tifex,
Cælum intueri, solis & currus sa-
cros,
Mundique motus, solis alternas vi-
ces,
Orbemque Phœbes, astra quem cin-
gunt vaga,
Lateque fulgens ætheris magni decus.*

ait Seneca in *Oœtavia*. Sed præter hanc honestissimam animi delectationem, quam

vel sola Astronomia progignit, aliæ sunt Mathesis utilitates manifestæ, quæ in cæteras scientias, artes, quin & opificia redundant. Ad sacram Scripturam rite intelligendam, præsertim ad ea, quæ de mundo condito in Genesis libro, in Job de sideribus, eorumque cursu, in Exodo de mensuris Tabernaculi, Arcæ, &c. in libris. Regum & Paralipomenon de structura templi Salomonici narrantur, plurimum confert notitia Mathefios. Certe Moses in Pentateucho diversis vicibus Geographum, Astronomicum & Geometram se profitetur. Patres quoque ac Theologi præstantes tum in Nicæna Synodo, tum in Tridentino Concilio ope scientiæ Astronomicæ ac Chronologicæ gravissimas illas quæstiones deciderunt de tempore Paschatis ac reliquorum ut vocant mobilium Festorum celebratione agenda, qua una re totius Christianæ Reipublicæ ordo ac gubernatio continetur. Juris Consulti non raro opus habent Geometria, Arithmetica & Statica in dijudicandis litibus circa agrorum, sylvarum ac ditionum fines, circa debita, & pondera, ac mensuras exortis. Medico corporum curationem committendam esse negat Galienus, nisi astrorum fluxus & tempo-

rum motus ac opportunitates probe notas habeat, quibus ignoratis interitum afferre potest, a quo ſalut & ſanitas exspectabantur. Philosophiae Mathesis velut ſangvine juncta eſt : absque notitia Astronomiae, Staticae, Opticae, Aerometriae, Hydraulicæ, Chronologiae explanari rite haud poſſunt, quæ de cœlis, de mundo, de elementis, de motu, de tempore in hac ſcientia tractantur. Ex his & Plato & Aristoteles multa, & certissima ad omnem Philosophiam, ſive de natura ſive de moribus diſputarent, argumenta depromferunt, quæ vocantur demonstrationes, ſimilitudines & exempla : fueruntque tam inter ipſos notæ, quam inter nos victus, veſtitus & habitatio. Geometria publicæ utilitati neceſſaria eſt ad dimetiendos campos, &c. Statica quoque ad pondera & instrumenta etiam opificum, etiam rusticorum. Architectonica ad muros, ædes, templa, civitates & munimenta, ad res bellicas & machinas ſtruendas. Arithmetica Quæſtoribus, Mercatoribus & Aeconomiae Administratoribus. Optica pictoribus, ædificiorum ſtructoribus. Horographia ad ſtata tempora ſignanda, & ad horologiorum directionem domi ac ruri. Ipsiſ quoque Agricolis temporum

ac vicissitudinum notitia ad infestationes, plantationes, sementes est necessaria, ni penuriam & charitatem annonae velint experiri. Atque haec ipsa, de qua dixi, tum utilitas, tum etiam necessitas nobilissimae hujus artis postremis duobus seculis Magnorum Principum ac Rerum-publicarum studia excitavit in Italia, Gallia, Anglia, Hollandia, ad constitutas magnis sumtibus Mathematicorum Academias & Collegia publica, e quibus optimi Artifices, nova inventa, accuratissimae observationes, ut vocant, instrumenta nitidissima, correctiones veterum errorum, experimenta quam plurima, & omnium quae ad hanc disciplinam pertinent, notitia amplissima prodirent. Secuta exemplum est denique, lentis tamen passibus, Germania, suo damno edocta neglectum Mathesis cultum. Praeclare hac de re ait in libello, quem *Crito* inscripsit, Wagnerus:
„Molitur quid Princeps, Regiam, horum
„tum, spectacula meditatur? tota Italia
„excuditur, ut Architectum mittat
„Principi, cui nemo domi. Ad Regni
„limites excitandum est praesidium? nisi
„convolatis Galli & Hollandi, nudi sumus in omnem incursum. Urbs obser-
„detur? nisi ad machinas, ad ignes, ad
„cuni-

„tuniculos eftis iidem ipſi , paſcimus
 „nonnunquam imperitia noſtra riſum
 „obſefforum , &c. Non ab re factu-
 rum me arbitror , ſi Petri Rami gra-
 viſſimam ſententiam , qua neceſſitatem
 ac utilitatem Matheſeos commendat ad
 finem libri primi de ſchola Mathemati-
 ca , in medium adferam. Erat autem
 Ramus tempore Caroli IX. Professor
 Regius Parifiensis Academiæ , in quam
 neglectum Matheſeos ſtudium improbo
 labore , nec ſine ingenti æmulorum in-
 vidia induxit. Verba illius recito , qui-
 bus Catharinam Mediceam Reginam allo-
 quitur : „ Quamobrem fi tot talesque
 „ Mathematici (nimirum Veteres) fato
 „ aliquo ab inferis in hanc lucem redi-
 „ vivis corporibus excitati pro foribus
 „ tuæ Basilicæ adſtarent , poſtularentque
 „ ut in Auditorio Regio perceptis stu-
 „ diis Grammaticæ , Rhetoricæ , Logicæ
 „ proximus ante Physicam & Politicam
 „ Mathematis locus eſſet & honos , ne-
 „ que juventus , niſi Mathematis eruditæ
 „ ad Physicam & Politicam admittere-
 „ tur , moveret opinor , prætantium per-
 „ ſonarum authoritas , & poſtulantum
 „ dignitas rem per ſe iuſtam atque
 „ optabilem facilius impetraret. Si ad
 „ hanc institutionem operam ſuam polli-

„cerentur, ecqua animi reverentia au-
 „ direntur ? Dionysius, ut prædixi,
 „ ignes tota Sicilia incendit Platonis
 „ unius adventu : quinam igitur tot
 „ Platonibus honores, quamque novi ex-
 „ quirerentur ? „

§. II.

Idea & Indoles Matheſeos,

II.

Mathesis græco idiomate *Μάθησις* (quæ vox disciplinam sonat) Scientia est, quantitatis, quæ mensurari apta est, tam discretæ quam continuæ, id est, multitudinis seu numeri, & magnitudinis. Quantitatem, seu *ποσότης*, quæ magnitudinis est, Geometria mensurandam sibi vendicat; eam vero quæ numeri est, Arithmetica: unde patet, duas simplices Matheſeos esse species, & fontes, e quibus reliquæ manarunt & compositæ fuerunt, quæ tot numerari possunt, quot sunt horæ diei. Geometria quidem ad res cœlestes, per certa temporis, & locorum spatia mobiles, translata Astronomiæ natales dedit, quæ quantitatem cœli ejusque vastitatem, motus siderumque affectiones investigat: Arithmetica
veræ

vero numeris in harmoniam concinnatis
progenuit Musicam, quæ tempus per
quasdam notas & sonorum interpolatio-
nes ita partitur, ut ad idem temporis
spatium diversæ respondeant modulatio-
nes, vocumque concentus & harmonia.
Porro ex quantitatis, prout materiam af-
ficit, consideratione ac mensurandi facul-
tate nata est tum Geographia, quæ par-
tes orbis terrarum metitur, tum Hydro-
graphia, quæ aquarum, præcipue ma-
ris, spatia mensurat, tum Geodæſia, quæ
solidorum æque ac liquidorum moles alia-
que pondera ad calculum vocat. Quan-
do autem contemplationi rei quantæ se
se impendit per figuræ, colores ac ra-
dios facultate visus attingendos, Opti-
cam & Perspectivam, ut vocant, produxit.
Non minus Trigonometria, quæ figuræ
tribus angulis tum planis tum spæricis
terminatas resolvere docet: Chronolo-
gia, quæ ex mensura cursus cœlestis
tempus determinat, & Gnomoniça, quæ
per umbram Solis & Lunæ, horas diei
ac noctis signat, ex mensuris & nuine-
ris, quorum scientiam Geometria & A-
rithmetica subministrat, ortum suum du-
xere. Eadem reliquarum Matheſeos spe-
cierum, de quibus postea sermo erit,
ordine diverso ac proportione inter se

junctarum origo est. Mira enim vis seu naturæ seu humani est ingenii, ab ipso Authore Deo indita, qua e simplissimis primordiis accedente scita compositione maxima artium & scientiarum opera fuerunt egressa.

Sic nata constitutaque scientia hæc sane nobilissima jure optimo Mater omnium salutari potest, utpote quæ in summo exploratissimæ veritatis apice sita est universa: Nam præ cæteris Mathematicæ facultates ad inferendam animo disciplinam idoneæ sunt, ac singulari prærogativa nomen scientiæ merentur, quia per demonstrationum & principiorum notorum viam securissimam procedunt ad cognitionem eorum, quæ minus nota sunt, ut & ipsa fiant nota & manifesta; qua semel cognitione parta ulterius progrediuntur ad alia investiganda, quæ adhuc minus erant nota, ut ea quoque manifesta reddantur, donec his veluti gradibus admirabilem ac certam rerum cognitionem consequamur. Verum hæc ipsa Matheſeos præstantia non parum ejus studio visa est obesse, ac multorum ingeniorum conatus velut medio in cursu destituit. Terret nimirum non paucos ipso in limine rei sublimitas, non secus

ſecus ac viatorem, ſi ſubito in itinere altiſſimus mons præruptis faxis & dumetis horridus ejus conſpectui ſeſe iſtſtat. Rara ſunt ingenia, & ſolum fauſto ſu-
ſidere nata, quibus datum eſt in ſcien-
tiæ iſtius apicem eluctari: alii a labore
arduo & aſſiduo abhorrent, impendendo
ſane ab iis, qui ſupra vulgus Doctorum
in Matheſi ſapere volunt. Alii contem-
ptu quodam abripiuntur, dum & ſibi
& aliis perſuadent, ſcientiam hanc pa-
rum utilitatis & commodi adferre Rei-
publicæ ac ſocietati humanae, ſed dun-
taxat pro planetarum incolis ad recondi-
ta quædam oracula ex aſtris, velut e
tripode fundenda, ad præſagiendas fal-
laci ſæpe vaticinio tempeſtates, ad ca-
lendaria conficienda & horoſcopos con-
dendos ab Ægyptiis, Arabibus, &
aliis ſuperstitiōſis gentibus inventam fu-
ſe. Quapropter male jam olim audiit
apud Patres hæc disciplina: Certe Hie-
ronymus *Mathematicas non eſſe pietatis*
ſcientias dixit: Auguſtinus (a) damna-
vit in ſe ipſo magnum, quem in libera-
libus & Mathematicis disciplinis colloca-
rat laborem, *quas*, inquit, *multi sancti*
nesciunt quidem, & qui etiam ſciunt eas,
sancti non ſunt. Gravius autem Am-
bro-


(a) *Lib. de Ordin.*

broſius productis e S. Scriptura ſententiis
invehitur in Geometras terræ ambitum
metientes, quum *perquisitas umbrarum
cauſas & eclipsis*, *marcescentes ſapien-
tiæ vanitates* vocat. (b) Absit tamen, ut
hæc & similia quemquam eruditionis cu-
pidum a Mathesis ſtudio avocent. Fa-
teor, olim tot numeris, circulis, & or-
bibus, tot ænigmatis ſignisque obſcuriſ-
ſimis involuta fuit hæc ars a primis suis
Conditoribus, ut Mathematici haberent-
ur, ac dicerentur ſolum illi, quos re-
motiſſimum ab humano conſortio, occul-
tiſſimumque cum ſideribus comercium ha-
bere vulgus credebat, fereque ſoli Astro-
logi, ſæpe vaniſſimi homines, hoc nomi-
ne adpellabantur. At ea vivimus tem-
pora, quibus adeo hæc ars exulta fuit,
ut aspera viatum Mathematicarum clara
& succincta, quantum fieri potest, de-
monſtrandi methodo tantopere fuerunt
complanata, ut etiam juvenes, ſi non ad-
modum hebetes ſint, ſed laboris patien-
tes, nec prodigi temporis, præſertim ſi
dux idoneus accedat, qui quæ auribus
dicit, diſcentium oculis quoque ſubjiciat,
magnos in hac ſcientia progreſſus pau-
cos intra annos facere queant. Præte-
rea theoricae Matheſeos rigor immixtis pra-
cticis

(b) *Lib. 6. in Hexametron.*

ticis problematis & mechanicis operibus admodum mitigatus est, ita ut qui ad sublimiora evolare vel non possunt, vel non volunt, multa tamen utilitati seu publicæ seu privatae servitura, ac scitu dignissima hoc in studio percipere valeant, cujusmodi sunt geographica, geometrica, statica, hydraulica, optica, gnomica, architectonica, & quidquid ad praxin pertinet. Nec est, quod severiora Patrum dicta hujus studii cupidum percellant; non enim tam disciplinas ipsas, quam malum earundem usum temporibus illis vitio verterunt, partim quia non pauci ad hariolationes, superstitiones, quin & præstigias pessime Mathesin adhibuerunt, partim quia multi sideribus & casui tribuerunt, quæ Dei Sapientia & Providentia soli sibi vendicat; aut huic studio nimis immersi, dum cœli faciem dijudicarunt, ac terram metiebantur, animum a cœlestibus, & pietatis operibus nimium quantum avocarunt.





CAPUT II. HISTORIA MATHESIS.

§. I.

Origo.

III.

Platonis divini effatum est, sane magnificum, quod interrogatus, quid in lucidissima illa vastissimaque æternitate suā moliretur Numen, edidisse fertur respondendo: *Geometrizat*; Deumque ipsum dicere non dubitavit: μάλιστα πάρτων γεωμετρεῖν. Et re ipsa Platonis oraculo consonat sacer Codex, qui Deum omnia, dum mundum architectus est, in *numero*, *pondere*, ac *mensura* (c) seu ad leges Arithmeticæ, Geometriæ, ac Staticæ, disposuisse nos docet. Quid enim aliud egit, quando immensitatis æternæ spatia definivit, longitudinem, latitudinem, & profundum termina-

(c) *Sapient.* Cap. II.

minavit ? quid , dum ædificii totius rationem , symmetriam , proportionem , ordinemque ad numeros discrevit ? quid , dum fundamenta terræ appendit , aquarum libravit fontes , æthera firmavit sursum , cœlestesque globos ad conversionis motum aptissimos struxit ? (d) Quid aliud , inquam , egit Sapientia divina , nisi quod Mathesin , ut ita dicam , exerceret , hujusque exordia incolis mundi grandibus veluti characteribus descripta commonistraret ? Neque in dubium vocari potest , quod primus mundi recens conditi habitator Adamus tum ea , quam a Deo infusam accepit , scientia , tum comparatis longissima contemplatione ideis usus , Matheseos disciplinam posteris tradiderit , ac repetitis sermonibus explanaverit . Certe Flavius Josephus (e) memorat ; Filios Seth , Nepotes Adami , ubi ex illius vaticiniis Universi hujus interitum intellexere , unum diluvio , incendio alterum , duas excitasse columnas , lateritiam & lapideam , eo consilio , ut lapidea aquæ , & lateritia igni superstes foret : his autem mathemata sua , præsertim siderum & cœlestium rerum notitiam , hieroglyphicis signis inscripsisse : eamque quæ lapidea

(d) *Sapient. Cap. 8.* (e) *Antiq. Judaic. Lib. I. Cap. 3.*

pidea erat, suo adhuc ævo in terra Si-
riade incolumem stetisse. Custoditam
hac ratione in Patriarchatum gente Ma-
thematicam disciplinam, & crebris He-
bræorum observationibus perpolitam Dei
jussu egrediens e patria ditione Abra-
hamus in Cananæam, & postmodum in
Ægyptum transtulit. Erat autem Abra-
hamus, verba sunt Berosi, scriptoris an-
tiquissimi, post diluvium decima ætate
apud Chaldaeos quidam justitiae cultor,
Vir magnus, & cœlestium rerum peri-
tus. Quapropter prima scientiæ hujus
periodus apud Chaldæam gentem com-
muni fere suffragio statuitur; unde M.
Tullius (f) mathematum originem, præ-
sertim Astrologicorum perspicue palam-
que ab Assyriis repetit. Principio, ait,
ut ab ultimis authoritatem repetam, pro-
pter planitiem magnitudinemque Regio-
num, quas incolebant, quum cœlum ex
omni parte patens atque apertum intue-
rentur, trajectiones motusque stellarum
observaverunt, quibus notatis, quid cui-
que significaretur, memoriæ prodiderunt.
Qua in natione Chaldæi non ex artis,
sed ex gentis vocabulo nominati, diu-
turna observatione siderum scientiam pu-
tantur effecisse, ut prædici posset, quid
cuique

(f) Lib. I. de Divinat.

cuique eventurum, & quo quisque fato
natus effet. Ita Tullius. Verum ortæ
ac florentes apud Chaldæos mathemati-
cæ artes, ut memini, tandem ex Assy-
ria in Ægyptum commigrarunt eodem
duce Abrahamo. Hic enim fame Cha-
nanæam regionem invadente, Ægypti
fertilitate invitatus proficiſci illuc decre-
vit, tum ut ubertate ſoli frueretur, tum
ut veri Dei cultum populo & ſacerdoti-
bus annunçiaret. Qua re factum eſt, ut
crebris inter eos diſputationibus inclare-
ſens, quum magnam tam intelligendi
quam eloquendi docendique facultatem
poſſideret, Arithmeticam & Astronomiam
benigne illis communicaſit, fere simili
ratione, qua Matheſis periti Patres qui-
dam e Societate noſtra ex Europa in Si-
nas profeſti una cum hac ſcientia veræ
fidei lumen in regnum illud invexerunt.
Memorat idem Josephus, (g) Abra-
hamum ob ſcientiæ hujus præclara docu-
menta a Pharaone Ægypti Rege non ſi-
ne honore exceptum, multaque pecunia
donatum: Alexander vero Polyhistor,
ipſum Regem Astrologiæ præceptis ab
Abrahamo imbutum fuiffe: Petrus Ra-
mus

(g) *Lib. 9. Cap. 1.*

mus autem (h) ab eodem Rege Sacerdotibus Ægyptiis ab Abrahamo artem hanc edoccis agrum in stipendum Mathematicæ professionis esse adsignatum. Sed ista non ab omni ætatis nostræ crisi sunt immunia, & ad tempus incertum referri debere videntur. Nam Abrahæ in Ægypto mora brevior tradendis Theseos præceptis non admodum est opportuna, nec a Deo ad gentes illas Astronomiæ legibus informandas, sed in veri Numinis cultu divinisque mandatis instruendas eo missus legitur. Meliori jure locum inter Mathematicos meretur Moses, quem Arithmeticæ, Geometriæ, Geographiæ, Architectonicæ ac Astronomiæ peritissimum multis extollit encomiis Philo (i) & Clemens Alexandrinus: immo ipsa sacra Scriptura (k) eum *omni Ægyptiorum sapientia eruditum* commendat. Profecto neque populi tanti tamque copiosi in singulas tribus distributi, & pecuniæ aris & sacrificiis destinatæ numerum inire (l) absque Arithmeticæ subsidio, neque variarum

(h) Schol. Mathiem. Lib. I.

(i) De Vita Mos. Lib. I.

(k) Act. 7. v. 22.

(l) Levit. & Numer.

rum gentium, regionum, fluminum in Pentateucho suo meminisse Geographiæ ac Geometriæ inexpertus, neque tabernaculum Dei jussu struere, omnemque illius adparatum summa cum accuratio-ne disponere (m) aut castra metari & cum hostibus bella gerere (n) sine Architectonicæ tum civilis tum militaris auxilio, neque stata sacrificiis ac festis solemnibus tempora observare (o) aut mundi totius genesis Astronomica desti-tutus scientia describere potuisset. Cæ-terum uti apud Hebræos otia mathema-tica primorum Patrum seu Patriarcha-rum, ita apud Ægyptios Sacerdotum studia fuere; immo vero ipsorum Regum deliciae. Hinc regali sumtu ædifi-catae hujus scientiæ cultoribus Armillæ, constructa magnis impensis ad varias ob-servationes gymnasia & instrumenta. Un-de Manilius in carmine Augusto Cæsari dicato de Regibus & Sacerdotibus Ægy-ptiis cecinit :

*Hi tantum movere decus, primique
per artem
Sideribus videre vagis pendentia fata
Atque*

(m) *Exod. 25.* (n) *Deuteronom.*
(o) *Exod. & Levit.*

Atque hæc altera Mathematici studii periodus est, nempe apud Ægyptios.

IV.

Tertiam ac certiorem sibi vendicat Græcia, in quam primus Geometriam intulit Thales Milesius anno mundi 3400, ante Christum natum 560. redux ex Ægypto, ubi studiorum caussa aliquamdiu peregrinatus est. Hic, ut ait Apuleius (p) ex septem illis sapientia memoratis Viris facile præcipuus erat. Nam Geometriæ penes Græcos primus reperitor fuit, & naturæ rerum certissimus explorator, & astrorum peritissimus contemplator. Maximas res parvis lineis reperit: temporum ambitus, ventorum flatus, stellarum meatus, tonitruum sonora miracula, siderum obliqua curricula: idem lunæ vel nascentis incrementa, vel senescentis dispendia, vel delinquentis obstacula: idem sane jam proclivi ætate divinam rationem de Sole commentatus est. Fertur ob adscriptiōnem trianguli & circuli tanta gestiūs lætitia, ut bovem Diis immolaverit. Thales igitur primus Mathesis Doctor in Græcia fuit: hos enim præ cæteris historiis nostra complecti animus est. Alter Pythagoras

(p) In Floridis.

thagoras Samius erat, cuius nota est hecatombe Muſis immolata ob novam in Geometria figuram inventam, qua re, uti in aliis, Thaletem æmulatus est. Arithmeticam plurimum locupletavit, ſcholam vero Matheſeos publicam pri-
mus aperuit, e qua poſtmodum copioſa Mathematicorum familia prodiit: Anaxa-
goras Clazomenius, & Oenopides Chius,
quorum meminit Plato in *Amatoribus*,
magis nomine quam monumentis relictis
clari. Hujus ſcholæ triplicem fuiffe or-
dinem Gellius teſtatur: prium eorum,
qui dicebantur *Ακαδημοί*, hoc eſt Audi-
tores, quos oportebat ad certum tem-
pus audire duntaxat doctrinam Magistri,
& aliorum percontations: poſtquam ve-
ro ſilentio ſatis erant eruditii, tum ver-
ba facere, commentari, diſputare lice-
bat, patebatque aditus ad ſecundam claf-
fem illorum, qui *Μαθηματικοί* adpella-
bantur ab iis artibus, quas jam diſcere
ac meditari cœperant: diſceabant autem
heic res mathematicas *ἀνάλως καὶ νοερῶς*
a materia abstractas ſola mente conſide-
rare. Demum his ſcientiarum ſuppetiis
inſtructi ad tertium Ordinem, nempe
ad percipienda mundi opera, & naturæ
phænomena promoti ſtuerunt, audiebant-

que φυσικόι. Ita pueris in hoc ludo Geometriæ, Musices & Arithmeticæ rudimenta tanquam certa fundataque principia scientiarum exhibebantur, ut in iis exerciti demum ad majora Philosophiæ studia ineunda redderentur idonei. Alia quoque inventa tribuuntur Pythagoræ, veluti ponderum & mensurarum, lunæ terrestris, seu potius terræ cœlestis, montibus, vallibus, sylvis & aquis refertæ, harmoniaci sphærarum cœlestium concentus, &c. Tertio inter Doctores loco numerandi sunt Hippocrates Chius, Leo Neoclidis discipulus, & Eudoxus Gnidius circa annum mundi 3500. Primus duas res Geometriæ maximas tentavit, magnoque studio promovit, scilicet *quadraturam circuli*, licet eam penitus demonstrandi felicitatem non sit adeptus, & *duplicacionem cubi*, quam omnis posteritas adprobavit. Alter vero universæ matheſeos elementa conscripsit, simulque ad usum communem, quod maximæ laudis est, accommodavit. Postremus generalia theorematæ magno amplificavit incremento: totum in elementis librum quintum de analogiis invenit: & astrologicas hypotheses revolventium sphærarum primus construxit. Quartus Doctoris nomine adpellandus est Plato,

in

in omnibns Divinus, qui floruit anno mundi 3600. Hic a Pythagorais in Italia, & a Sacerdotibus in Ægypto egregia mathematum monumenta, tanquam peregrinationis suæ fructum in patriam secum attulit, quin etiam improbo labore excoluit. Sectiones Conicæ ac Cylindricæ eo authore gloriantur : modum etiam demonstrationis, quæ per Analyſin fieri solet, invenit, uti Proclus & Laertius produnt : stellas & sidera errantia in ordinem certum seu ſystema redegit. Quod autem præcipuum Platonis encomium eft, Geometriæ studio tantopere addictus fuit, ut omnes ſcholis ſuis arceret, qui non ejusdem periti vel certe idonei forent. Quapropter Academiæ vestibulo magnis characteribus notam gnomen illam inscripsit : $\varepsilon\delta\epsilon\iota\varsigma\alpha\gamma\omega\mu\acute{\epsilon}\tau\rho\tau\varsigma\,\iota\kappa\sigma\tau\omega$. Nullus Geometriæ expers accedito. Huic merito jungendus eft Aristoteles Platonis discipulus, qui Philosophicos labores ſuos utiliſimis mathe-matis de Mechanica, Optica, Musica interpolavit. De Optico libro, eoque copioso meminit Ptolomæus : Simplicius in Categoriis Geometricos & Mechanicos libros Aristotelis commendat : certe Mechanica quædam opera adhuc exſtant.

Quinto loco Doctorum cathedram occupant Euclides, Tyro oriundus, & Archimedes Syracusanus. Prior industria singulari in unum corpus collegit elementa tum Eudoxi, quæ in ordinem redegit, tum Theodeti, quæ perfecit ; dispositione cæteris excellentior quam inventione ; præterquam quod inter ejus opera etiam Optica, Catoptica, Musica & liber de divisionibus celebrentur : Posterior vero Mathematicis artibus suis omnino admirabilis tam ætati suæ quam posteritati fuit. Geometra summus erat, ita ut cibi potusque oblitus ubique figuræ, etiam in cinere describeret. Præcipuus labor ejus gratissimusque fuit, quem in ratione sphæræ ac cylindri invenienda & pertractanda posuit, eaque propter amicos suos rogavit, ut cylindrum sphæra comprehendens tumulo suo imponerent, uti Tullius prodit ; (q) veluti post mortem iisdem se occupare studiis vellet, quæ vivens exercuit. Sed non minus machinis, quas excogitabat, formidandus existit. Quippe Romanis Duce Marcello Syracusas obsidione prementibus, constructis turribus & tormentis hostes diu ab urbis aditu prohibuit, & tritemes eorum solis igne intra specula parabolica colle

(q) In 5. Tuscul.

collecto atque reflexo incendit combus-
ſitque. Conſecutus eſt hac arte ſua apud
Marcellum, licet hoſtem, tantam gra-
tiam, ut capta demum civitate Archi-
medem ſervari in columem jufſerit: ſed
militis in tanto tumultu imprudentia fa-
tum eſt, ut formis in pulvere ducendis
intentus ab ignaro trucidaretur. Præ-
ſtantissimum ejus opus erat Planetarum
motus in sphæram ſummo & cœleſtium
conversionum æmulo artificio alligatus,
quam vitream fecit Claudianus, his eam
verſibus celebrans.

*Jupiter in parvo cum cerneret æthe-
ra vitro,*

*Rifit & ad ſuperos talia dicta
dedit:*

*Siccine mortalis progreſſa potentia
curæ?*

*Jam meus in fragili luditur or-
be labor.*

*Jura poli, rerumque fidem, legem-
que virorum*

*Ecce Syracusius tranſtulit arte
ſenex.*

*Inclusus variis famulatur ſpiritus
aſtris,*

*Et vivum certis motibus ur-
get opus.*

*Percurrit proprium mentitus signifer
annum,*

*Et simulata novo Cynthia men-
se redit.*

*Famque suum volvens audax industria
mundum*

*Gaudet, & humana sydera men-
te regit.*

Ex his facile patet, Archimedem non solum Arithmeticum, Geometram & Mechanicum, verum etiam Astrologum magnum fuisse. Sexti denique Matheseos Doctoris gloriam in Græcia sibi vendicat Theon Smyrna oriundus, qui Euclidem ipsum superasse videtur; quin non desunt cum Proclo, qui Mathematica Elementa, quæ Euclidi vulgo tribuntur, Theoni adjudicent, cui etiam Opticæ atque Astrologiæ ornamenta plurima Mathesis debet. Huic tertiae seu Græcæ Mathesis Periodo appendicem subministrat Ægyptus: ejusque Rex Ptolemæus Philadelphus, eruditione amoreque, quo in Eruditos ferebatur, præstantissimus. Hic anno mundi 3677. collapsas in Ægypto scientias restauratus Alexandriæ Mu-
seum

seum seu Gymnasium regia munificentia erexit, in quo Viri doctissimi e Græcia evocati operam non solum Philosophiæ, sed etiam Mathesi utilissimam collocarunt, e qua schola præclari postea Mathematici prodierunt, Eratosthenes, Hipparchus, Sosigenes, Theon Senior, Paulus Alexandrinus, Theon Junior, Diodorus Alexandrinus, Theophilus & Cyrillus, ita ut ab annis ante Christum fere trecentis ad annum æræ vulgaris quingentesimum Mathesis, præsertim Astronomia, Alexandriæ quasi per intervallum commorata fuisse videretur. Ptolomæus tamen (alius a Rege) supra reliquos excelluit, & egregium illud opus composuit, quod *magnam constructionem* adpellavit, in quo quæ in aliis dispersa erant, in unum corpus methodo scientiis familiari collegit.

§. II.

Propagatio Matheſeos.

V.

Hucusque intra Græciæ fines una cum Muis sedem fixisle videri poterat Mathesis. Verum properabat aliis quoque gentibus & regionibus sese communicare, Romanis, Arabibus, Persis, aliisque

que Orientis populis, ita ut tempus hoc
 Matheseos quarta periodus migrationis
 merito nuncupari possit. Evidem Ro-
 mæ primis Reipublicæ temporibus parvo
 erat in pretio isthæc scientia. Nam gens
 ista, licet jam late dominaretur, iis so-
 lum disciplinis operam dabat, quæ Im-
 perii administrationem, & bellorum alio-
 rumque publicorum negotiorum ratio-
 nem juvare poterant, cæteris omis-
 sis. Observavit hoc Cicero (r) luculenter de
 Mathesi. „ In summo honore, inquit,
 „ apud Græcos Geometria fuit: itaque
 „ nihil Mathematicis illustrior. At nos
 „ metiendi ratiocinandique utilitate inspe-
 „ cta, hujus artis terminavimus modum.,
 Nempe Romani libentius armis & domi-
 nio terram metiebantur, quam pedibus
 geometricis. Verum ubi cœperunt ii-
 dem passim in Græciam trajicere, ibique
 bonarum artium veluti nundinationem in-
 stituere, non sine lucro doctrinæ, Ma-
 thematicas quoque disciplinas in Im-
 prium suum advexerunt: quæ Quarta pe-
 riodus Mathesis, Latinæ scilicet, dici po-
 test. Certe Tullius (s) Cajum Sulpi-
 tium multis extollit laudibus, narratque
 visum fuisse Cajum hunc studio dime-
 tiendi

(r) I. Tuscul.

(s) In Caton. Major. Cap. 19.

tiendi cœli ac terræ pene immortuum.
De Julio autem Cæſare præclarum repe-
rire est testimonium apud Lucanum (t)
apud quem Cæſar Achoreum Sacerdo-
tem & Ægyptium Philosophum ſic allo-
quitur :

*Fama quidem Generi Pharias me du-
xit ad urbes ;*

*Sed tamen & Vestri : media inter
prælia ſemper*

*Stellarum cœlique plagis , ſuperiſve
vacavi ,*

*Nec meus Eudoxi vinctetur fastibus
annus.*

Quam idem peritus fuerit Architeſtoni-
cæ militaris , fatis oſtendunt commenta-
rii , quos de bellis & obſidionibus a fe-
gestis nobiliſſimos conſcripsit , & e qui-
bus multa ſane in eam , qua hodie uti-
mūr , bellandi methodum traducta fue-
runt , ut alibi docebimus . Quod autem
Cæſar Matheſis ſtudium etiam inter ar-
ma coluit , hoc princeps Poetarum Latini-
orum Virgilius Maro inter Muſas ample-
xus eſt . Ipſem et hoc profitetur . (u)

Me

(t) *Pharsal. Lib. 10.*

(u) *Lib. 2. Georg.*

*Me vero primum dulces ante omnia
Musæ ,
Quarum sacra fero ingenti percul-
sus amore ,
Accipiunt , cælique vias & sidera
monstrant ,
Defectus solis varios , lunæque la-
bores :
Unde tremor terris : qua vi maria
alta tumescant
Obicibus ruptis , rursusque in seipsa
residant :
Quid tantum Oceano properent se tin-
gere Soles
Hyberni , vel quæ tardis mora nocti-
bus obstet .*

Illis ipsis temporibus , régnante scilicet Augusto , magnus ille Architectonicæ no- bilioris parens M. Vitruvius Pollio sur- rexit , qui præclarum artis hujus opus in decem libros distributum Principi huic Optimo & Literatorum Mæcenati dica- vit , in quo saepius etiam de rebus ad Astronomiam pertinentibus doctissime dis- seruit . Non solum autem privatos clientes Mathesis Romæ numeravit , sed etiam

etiam purpura insignes. De Tiberio Claudio Cæſare Suetonius memorat, eum in Astronomiæ studio tantum fecisse profectum, ut singula eclipsis momenta veluti cœlestium arcanorum conscius certo rerum successu prædixerit. Accidit ut ipso, quem natalem egerat, die sol defectum esset passurus. Quare veritus, ne superstitione plebs tumultus occasionem e cœlo peteret, publicis evulgavit tabulis non modo futurum id Phœbi deliquium, verum etiam tempus, quo fieret, moram qua duraret, modum & cauſas, ob quas evenire necessum foret, avidis rei spectatoribus palam fecit. Nec defuerunt Romano in Imperio Successores, qui scientiæ hujus, præfertim Astronomiæ patronos ſe profitarentur, Hadrianus, M. Aurelius Antoninus, & Septimius Severus, quorum ætas & favor insignes artis hujus candidatos progenuit. Hos inter facile præcipuus fuit Claudius Ptolomæus Pelusiensis, de quo paragrapho superiori memini. Viri hujus in Astronomiam merita nullis sat laudibus extolli poſſunt. Præterquam enim, quod Hipparchi aliorumque Veterum cœlestes observationes collegerit, emendavit, ac propriis auctas inventis velut theſaurum nobis reliquerit, primus fuit,
qui

qui integrum Astronomiæ sistema digestit, & improbo labore viam aperuit, qua incedentes posteri Astronomiam facilius colerent ac locupletarentur. Operi suo titulum præfixit Μεγάλη σύνταξις, seu Magna Constructio, quam in libros tredecim partitus est: præter alios quoque Geographicæ enarrationis libros septem, & Hemerologium quod nos Calendarium vocamus, condidit, in quo pro singulis mensium diebus qua ratione adpareant stellæ, quidve præfigant, copiose docet. Silentio quoque præteriri non debet Anicius Severinus Boethius in omni doctrinæ genere, etiam Matheſeos, versatissimus. Testis loco sit epistola Theodorici Regis ad ipsum Boethium data, quæ libro de Consol. Philosoph. præmissa legitur. Ibi enim horologium tam Automatum quam Sciathericum, quod Anicius fabricaverat, Burgundionum Ducidoно dandum, ad se mitti Rex jubet his verbis: „Quare cum vos ornet talium „rerum prædicanda notitia, horologia „nobis publicis expensis sine vestro dis- „pendio destinate. „ Tum describit Theodosicus ea, quæ desiderat horologia; demum subjungit: „Prædicta „horologia nobis ocyus transmittere ma- „turabis, ut te notum in illa parte mun-

„ mundi facias, quo aliter pervenire non
„ poteras. Agnoscant per te externæ
„ nationes, tales nos habere nobiles,
„ quales leguntur Authores, &c. „ Un-
de horologii Automati primus Auctor
fuisse creditur; quæ tamen ars cum ipso
extincta, nec revocata est ante annum
1480.

VI.

A Romanis ad Arabes deflectere ju-
vat, a quibus ut plurimum Astronomia,
nobilissima pars Mathesis, non modo in-
signiter exculta, sed etiam ad gentes
Europæas traducta fuit. Tam præclari
operis conditorem celebrat Arabia Abd-
dallam Almanum, Chalifam seu Princi-
pem, qui Bagdadi Imperium Babiloniæ
tenuit A. C. octingentesimo decimo quar-
to. Hic Astronomiæ cultor eximus Vi-
ros ex omni orbis parte doctissimos con-
vocavit, magnoque librorum Arabico-
rum, Syriacorum & Græcorum adpara-
tu undique conquisito in mandatis dedit,
tum ut instrumenta idonea conficerent,
tum ut observationibus siderum quanta
maxima possent accuratione vacarent.
Ejus auspiciis res maximi moliminis per-
fecta est, scilicet Meridiani terrestris di-
mensio. Abdallæ ducis vestigia securi

funt Habasch , incola Bagdadi , qui peritia calculi Astronomici eminuit , compo-
suitque tres tabularum Astronomicarum
libros : Muhamedes Albategnius , qui uni-
versam astrorum scientiam peculiari vo-
lumine complexus , & numeri & motuum
sidereorum doctrinam tum Ptolomaicis
tum propriis observationibus illustrare co-
natus est : Haly Aben Rodoan , qui alia
inter monumenta cœlestis scientiæ the-
ma Cometæ tam accurate condidit , ut
merito in admirationem raptus fuerit
Cardanus , laborem hunc ab homine eo ,
quo deficerent Ephemerides , ævo perfici
potuisse : Alpetragius Maroccitanus , qui
planetarum motus omnes ac pene diver-
sus velut in unum collegit fasciculum ,
dum motum illis unicum , quem vocant
spiralem , præscripsit : qua in re facem
Tychoni prætulisse visus est , qui similes
post ipsum spiras planetarum motibus
propriis explicandis adhibuit . Hunc au-
tem Astronomiæ maxime prosperum apud
Arabes progressum mire promoverunt ,
uti testatur Eduardus Bernardus , (y) fe-
licitas quidem & claritas regionum , ubi
observationes fuerunt institutæ : machi-
narum granditas & accuratio : contem-
plan-

(y) *Apud Joanneum Leuthorpium in Epit.
Transact. Anglic. vol. I.*

plantium insuper numerus, & scribentium duplo major, quam apud Græcos Latinosque celebratur. Verum ut Kepplerus advertit, (z) Astronomia ab Hunnis Gothisque ex Europa pulsa, & in Asiam ad Arabes devoluta, denique servitutem serviit turpissimam sub Genethliacis, Sortilegis, Magis, sciscitanti cuilibet responsa quasi ex tripode dantibus, donec tandem seculo post Christum nono & Goths Francique barbariem, & Saraceni superstitionem paulatim exuere cœperunt, illi constitutis Imperiis, hi longe lateque propagatis. Nam tum florente in Palæstina, Sicilia, Italia & Hispania cum Saracenis commercio, artium quoque ac Mathematicæ disciplinæ cura & studium ad Christianos orbis Occidui transiisse visa est.

VII.

Sed & Persas præterire nefas est, quorum Majores fuere Chaldæi. Apud hos quidem post Christi æram siderum scientia passim negligi cœpta est: ejus tamen cultum seculo octavo & nono Almansur & Almamon instaurarunt. Primum eruditioonis Mathematicæ specimen dederunt,

quum

(z) *Praef. ad Tabul. Rudolph.*

quum annum solarem eam in formam redigere, tam elegantem ut cæteris merito populis exemplo esse posset. Quippe olim anno Ægyptiaco & vago trecentorum sexaginta quinque dierum terminis circumscripto utebantur: emendavit hunc primus anno Ch. 1079. Giemschid Medorum Monarcha interjecto intra centum viginti annorum spatium integro mense, & postea Rex Gielaleddin Melishah dierum octodecim embolismo exordium anni ad initium arietis reduxerunt. Atque hac ratione anni solaris veri & civilis concordiam incredibili labore tum quidem restituisse visi sunt, reliquo posteris Calendarii reformandi exemplo. Ut autem stabilis sedes Mathematicis disciplinis figeretur in Persia, Imperator Holagu Illekan e Tartarica oriundus familia in Civitate Maraga speculam ut vocant Mathematicam regiis sumtibus anno Ch. 1259. condidit, præstantioresque ibidem Astronomos sideribus rite observandis operam dare jussit, summa erga illos usus munificentia. Ab eo tempore ad nostram usque atatem Persis hæc cœli scientia in pretio fuit, cuius rudimenta juventuti publicis in scholis tradi testatur Adamus Olearius, qui Legato Frederici Hollatorum Ducis anno 1633. in Rus-

Rußiam & Persiam misso a secretis erat, cuique magnæ molis globos cœlestes ac terrestres, Astrolabia & chartas geographicas satis accuratas exhibuerunt in Museis suis.

VIII.

Jam vero Sinenses, cultissima Orientis natio, præ omnibus reliquis scientiis Astronomiæ se impendit, hujusque studii honorem vel primi Ordinis Nobiles, Magistratus, Principes, ipsique Monarchæ sibi vendicant. Integræ Sinensis Astronomiæ historiam plures e Societate JESU Patres, promovendæ rei Catholicæ cauſſa illic degentes coacinnarunt: Veterem quidem P. Gaubilius natione Gallus, ubi narrat, Sinenses ore velut uno fateri, Astronomiam in Sinis circa annum 480. ante Ch. N. prorsus negletam, totamque paullo post scientiam hanc in exilium pulsam fuisse, libris Imperatoris Tsin-Chihuang jussu vulcano traditis: anno autem 206. post Ch. N. Lieou-Pang monarchia potitus maximos Astronomiæ favores exhibuisse, ac tribunal Methematicum instaurasse: post Ch. N. vero anno 443. Ho-Chin-Tien Monarchæ jussu sphæram fabricari cœptam esse miræ magnitudinis, in qua eminuit

ingens ex aurichalco globus, opera Yhang
tam scite compositus, ut rotarum aquis
circumactarum ope motus tum proprius
tum communis lunæ, solis, ac quin-
que Planetarum, uti & conjunctiones ac
oppositiones, eclipses ejusdem solis &
lunæ, occultationes stellarum, longitu-
do dierum ac noctium, poli altitudo in
urbe Signansou, siderum supra & infra
horizontem situs, horæ demum diurnæ
nocturnæque velut in compendio repræ-
sentarentur. Verum conatibus istis licet
maximis, tamen prohibere Sinenses non
poterant, quin Astronomia illorum mul-
tis scateret vitiis. Hinc ubi per memo-
ratos Societatis JESU Patres Astronomia
Europæa ipsis innotuit, veteris ac suæ
tædio affecti sensim vietas dare manus,
novamque colere cœperunt. Atque ex
hac, quam e propriis Sinarum monu-
mentis literariis Gaubilius in lucem pro-
traxit, historia satis arguitur eorum ja-
ctantia, qui Europæis persuadere vole-
bant, in Sinensi regno inde a quater
mille annis Astronomiam floruisse, ibi-
que siderum observationes jam tum fui-
se institutas. Qualis autem posterioribus
seculis Mathesi honos habitus fuerit a
Sinis, paullo post suo loco narrabimus.

IX.

In Europam redire juvat, ubi aliquamdiu sub Romanorum Imperatorum auspiciis claruisse Mathesin diximus. Verum a nono usque ad decimum quintum seculum bonae artes & scientiae, praesertim Mathematicæ, passim spretæ negligetæque jacuerunt: e tenebris tamen illis exigua quædam Astronomiæ lux afferuit. Patrocinium eidem indulxit, & velut patria extorrem tecto exceptit Carolus M. Imp. invictissimus, de quo Eginhartus (a) testatur, quod artes liberales studiosissime coluerit, & sub præstantissimis Præceptoribus Petro Pisano, Alcuino, & Diacono de Britannia Saxone, Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ, præcipue tamen Astronomiæ ediscendæ plurimum & temporis & laboris impenderit, ita ut arte computandi ac sidereum cursus metiendi excelluerit. Huic aliis Imperator merito jungendus, Fredericus II. qui circa annum Ch. 1230. non solum Astronomiam amore suo favoreque dignam censuit, sed rarissimum temporis exemplo ad ejus notitiam sibi comparandam animum adjecit. Quum ad

(a) In ejus vita Cap. 25.



ad illum aliquando inviseret Præsul ad S. Galli, teste Conrado de Febaria Historico synchroño, Imperator quidquid in regia sua pretiosum charumque habuit, hospiti contuenda proposuit, scilicet filium suum Conradum adhuc puerum & Regem Solymarum, atque cœlum Astronomicum gemmis stellatum, continens sinu suo cursum planetarum. Non minus seculum decimum tertium corona insignem Astronomum orbi dedit Alphonsum Regem Castiliæ. Hic quum Astronomicarum, quas Ptolomæus construxit, Tabularum errores tempore procedente palam fierent, de illis e medio tollendis emendandisque consilium inire cœpit, tamque felicem res hæc eventum est fortita, ut Tabulæ numeris suis absolute etiamnum hodie Alphonsinæ nuncupentur. Verum Regis hujus præclara scientia eclipsi maximam passa est a superbia, quæ non raro illam comitari solet. Certe Joannes Mariana : (a) dum cœlum, ait, considerat observatque astra, terram (nempe Imperium Romanum) amisit. Fertur temerariam impiamque vocem fulmine, quo periisse dicitur, dignam emisisse : *si a principio creationis humanæ Dei altissimi consilio interfuisset, nonnulla melius ordinata*.

(a) In Hist. Hispan.

ordinatiusque condenda fuiffe. Non ſolum autem profanæ, ſed & ſacræ Reipublicæ favorem ſibi hoc ævo promeruit Matheſis : profeſto Sylvester II. Pontif. Ma. xim. Gerbertus antea dictus, Ottonis III. Imper. atque Roberti Francorum Regis præceptor, dum in cœnobio Floriacensi privatam degeret vitam, Astronomica ſcientia omnes temporis illius æquales antecelluit. Horologium Astronomicum Magdeburgi ſtruxit, illius ævi prodigium : globum quoque cœleſtem arduo conatu effinxit, torno expolitum & corio obvolutum equino, horizonte ac di- verfa cœlorum pulchritudine inſignitum. His aliisque arcanæ Matheſeos operibus tantam ſui admirationem apud rerum imperitos excitavit Gerbertus, ut magiæ vel necromantiæ ſuspicionem incurrerit : ſed labem hanc omnino abſterſit Gabr. Naudæus in libro de Viris illuſtribus ſimiſis magiæ accuſatis. Singulare autem decus Astronomiæ acceſſit a Viris vitæ ſanctitate conſpicuis, nempe B. Hermanno, Augiæ divitiis Monacho, qui a mem- brorum vitio, quod contraxit, cognomen *Contrafti* fortitus eſt, variisque de Astrolabio, eclipsibus & computatione Astronomica lucubrationibus in lucem editis inclaruit: ſimiſiter D. Albertus M.,

Ratisbonensis Episcopus, qui præter alia præclaræ doctrinæ specimina Tractatum de sphæra, de Astris, de Scientia siderali, & speculum Astronomicum posteritati reliquit, pluresque machinas stupendo prorsus artificio e Matheſeos principiis hausto molitus esse traditur. His merito adjungendus est Joannes a S. Boſco, Parisinæ Academiæ lumen splendiſſimum, qui Astronomiæ tam sphæricæ quam theoricæ compendium concinnavit, cui titulum *de sphæra* præfixit. Partum hunc tanto exceptit plausu literatus orbis, ut per plura ſecula in ſcholis liber hic civitate donatus fuerit, ac multis illustratus commentariis.

§. III.

Florentissima ætas Matheſeos.

X.

Seculum post C. N. quintum decimum fuit tempus illud auspicatum, quo in Europa latentes diu sub ignorantiae barbaricæ cineribus artium bonarum ſcintillæ rurſus excitatae fuerunt, & ſedibus ſuis avitis pulsæ restitui cœperunt ſcientiæ; cujus rei non una ſed multiplex cauſa fuit; ante alias autem tum Græca-

carum, unde omnis eruditionis fons, literarum palingenesia, quæ Emanueli Chrysoloras merito adscribitur. Patria huic Constantinopolis, unde græcas literas velut pretiosissimas merces in Europam invexit, primusque illas multis jam seculis intermortuas Venetiis & Florentiæ palam professus est sub finem seculi XIV. tum erecta publicis sumtibus, vel pristino splendori restituta Gymnaſia, Lycea, & Academiæ, constitutis ubique præclaris liberalium disciplinarum Magistris, quorum postea non minima pars Alumni Societatis JEſu, quæ a Parente suo D. Ignatio tam ad mores hominum eo præsertim ævo admodum corruptos pro virili emendandos, quam ad collapsa literarum studia integratati suæ restituenda promovendaque singulari Numinis providentia condita, & unanimi fere totius Europæ Catholicæ consensu huic negotio conficiendo adhibita fuit. Denique ars Typographica, quæ priore seculo intra annos quadragesimum & quinquagesimum vel Moguntiæ vel Argentorati fuerat inventa, cuius adminiculo plurimis doctissimis libris in lucem editis & vetus & nova eruditio breve intra tempus maximum cepit incrementum. Præ reliquis vero Mathesis hisce temporibus, velut post

post nubila phœbus , redire magnisque
passibus ad summæ , quam modo adepta
est , gloriae culmen contendere visa est ,
ita ut merito hæc quinta *periodus instau-
rationis* dici possit. Quippe seculo XV.
totius Astronomiæ instaurandæ laborem
magno tum ingenio , tum studio felici-
que progressu occepit Georgius Peirba-
chius , in oppido Peurbach ad Austriae
Bavariaeque confinia sito in lucem edi-
tus. Necessitudinem hie magnam con-
traxit cum summis in literatura Viris
Romæ , Ferrariæ , Viennæ , Bononiæ , ac
Patavii , iisdem in locis tribus postremis
Astronomiam publice professus ; & lucu-
brationibus plurimis doctissimisque om-
nem fere Mathesin illustravit. Discipu-
lum natus est Magistro non inferiorem ,
Joannem Mullerum , Regiomontanum , seu
de Monte Regio , cuius fama Principum ,
Regum ac Pontificum aulas implevit .
Primus concinnavit ac publici juris fecit
ephemerides Astronomicas annis 30. suf-
fecturas , quibus loca planetarum , aspe-
ctus , latitudines ac eclipses indicantur ;
opus a literatis tam avide exceptum , ut
singula exemplaria duodecim aureis , ma-
ximo tum temporis pretio , venderentur .
Quum vero Duumviri hi Mathesi instau-
randæ operam navarunt , insurrexere alii ,
qui

qui rebus cœlestibus in ordinem meliorum redigendis insudarunt, variaque cœli systemata orbi literato proposuerunt. Hos inter Nicolaus Copernicus patria Borussus, Thorunii in lucem editus: Hic Romam delatus aliquamdiu Mathefin magna cum nominis fama ibidem professus est. Tum hypothesi novæ intentus Philolai vestigia sequi statuit. Erat autem Philolaus Pythagoricæ lectæ Philosophus quadringentis ante C. N. annis, primusque, qui terram alias moveri nesciam circa solem immotum annua periodo ambulare docuit, quam opinionem fere sepultam longissimo annorum intervallo Nicolaus Cusanus S. R. E. purpura insignis denuo excitavit, (b) solicite tamen, nec satis firmo adhuc gressu incidentem, donec de quo dixi, Copernicus ultimam manum admovit, terræque pedes addidit, quas soli & stellis abstulit. Opus suum in sex libros distinctum, quibus totam Astronomiam complexus est, demum absolvit circa annum 1530. paullo post sanguinis profluvio e vivis sublatus. At sideribus motum, & terræ quietem restituit Tycho Brahe ex illustri in Suecia familia oriundus. Is proprio morte ductuque ingenii in Astronomiæ aliaque Mathefeos arca.

(b) *Lib. 2. de Doct. ignorant.*

arcana penetravit. Instituto per Germaniam itinere, ac inito cum doctissimis Viris literarum commercio domum redux a Friderico II. Daniæ Rege Venuſiam insulam (vulgo Huenam) in fredo Danico sitam obtinuit, in qua famosissimam speculam astronomicam construxit. Invitatus postmodum a Rudolpho Cæſare in Bohemiam e Dania migravit, Prægæque obiit anno 1601. postquam Mathesin ferme Universam instauravit, doctissimisque commentationibus in lucem editis illustravit.

Ineunte seculo XVII. unus omnium Mathesis, præsertim Astronomiæ cognitione maxime excelluit Joannes Keplerus Wulæ in Ducatu Würtenbergico natus. A Proceribus Styriæ primum Græcium vocatus est ad capessendam Mathematum professionem : varia postmodum usus fortuna, variisque in regiones translatus, demum Tychoni familiaris Cæsarlis jussu eidem a calculis fuit. Plurimis scriptis Mathematicis omnino insignibus orbem literatum locupletavit, quorum tamen famam nescio an plus illustrarit, an vero obscurarit opere posthumo, quod titulum præfert : *Somnium Keppleri de Astronomia Lunari.* Primus enim

enim e Recentioribus incolas Lunæ invexisse viſus est.

Italia anno 1564. mundo edidit Galilæum de Galilæis, Florentinum. Huic Matheseos cathedram Academia Patavina cum annuo octingentorum aureorum stipendio contulit. Munere hoc functus est per octodecim annos, postmodum a Gosma II. Magno Hetruriæ Duce Mathematici Florentini Primarii dignitate auctus. Praeclare de Statica & Mechanica, ad quarum leges rerum naturam evocare cœpit, præcipue vero de Astronomia meritus fuit Galilæus propter cœlestes, quas telescopio suo instituit observationes ; nimirum in lunæ facie asperas partes, præaltos montes, profundasque valles notavit atque dimensus est, in via, quam vocant lacteam, innumeratas stellas exigucas, in Venere phases lunari bus similes, in Saturno figuram oblongam & veluti tricorporem detexit ; multis præterea libris Mathematicis inclaurit.

Inter Astronomiæ heroes jure meritiſſimo locum occupant Joannes Hevelius, & Christianus Hugenius. Prior Lunæ contemplandæ totum se dedit, omniumque accuratissime faciem ejus depinxit

pinxit in sua Selenographia sive descriptione Lunæ ejusdemque macularum, motuum & phasium: aliis quoque multis operibus scientiam hanc ditavit, Consulis dignitate in patria sua insignitus. Posterior Mathematicus summus multas præclaras conscripsit lucubrationes, quæ post obitum illius in quatuor volumina fuerunt collecta, & tum Lugduni tum Amstelodami edita anno 1724.

Immortalem quoque laudem peperit cœlestis scientia Joanni Dominico Cassini, natione Italo. Bononiæ primum Mathesin publice docuit; dein Parisios annuente votis Franciæ Regis Pontifice Clemente IX. Parisios translatus ac civitate donatus Astronomi Regii munere functus est. Præ reliquis Cometatum naturæ penitus scrutandæ se impendit, eosque corporibus fortuito natis accen-feri non posse, sed planetarum genus quoddam esse multis rationibus ostende-re conatus est: egregium quoque in ob-servandis quam accuratissime Jovis & Sa-turni comitibus, & ineundo illorum mo-tuis calculo collocavit operam: demum senex 88. annorum usu oculorum desti-tutus ebiit, relicto filio unico Joanne Jacobo, paternæ scientiæ famæque di-gnissimo hærede.

Inſignes quoque partus Matheſeos invenire eſt in Actis Societatum Regiarum Parifiensis, Anglicanæ, Berolinensis, Petropolitanæ, Instituti Bononiensis, quibus mira indies incrementa capit ſublimis hæc ſcientia.

XI.

Pauca heic in medium afferre licet de inſignibus, quos JESU Societas, bonarum artium omnium ſemper studioſiſſima, orbi literato dedit, Mathemati‐cis. Atque ut ea, quæ de veteri Sina‐rum Matheſi non ita pridem commemo‐ravi, modo breviſſime persequar, Ada‐mus Schall, Joannes Terentius, Ferdinandus Verbiest, Franciscus Noel, Ludovi‐cus le Comte novæ Sinensis Mathemati‐cæ initium ducunt a Seculo XVI. quo ipſi has terras ingressi ſunt, & ibidem editis præclaris hanc in rem libris incla‐reſcere cœperunt. Nempe ob præter‐miſſam orbium cœleſtium, ut adpellant, excentricitatem factum eſt, ut crescenti‐bus paulatim vitiis Classis Mathematica in prædicende Solis eclipsi a vero tempo‐re non modice aberraret. Quod quum ægre ferret Imperator, consulti Præſides Tribunalis, quod ritibus ordinandis præ‐eſt, cujusque classis Mathematica eſt ſubje‐

cta, erroris caussam in veteris methodi
præcepta rejecere: quare unus illorum
Præsidum Siu Paullus, Patribus Societatis
addictissimus, calculum a P. Joanne Te-
rentio compositum, qui cœlo apprime
congruebat, ac librum de Eclipsibus a
Joanne Adamo Schallio conscriptum mi-
ris in Aula laudibus extulit, effecitque,
ut Terentio soli ephemeridum emenda-
tio, & instrumentorum, quibus indige-
ret, regiis sumtibus conficiendorum cura
committeretur. Huic tandem post mul-
ta obstacula a Tribunalis Mathematici
Adsestoribus objecta, sed feliciter supe-
rata eo in labore successit Schallius, cui
totum corrigendi Calendarii Sinici nego-
tium demandatum fuit. Absolvit hoc
brevi tanta cum ingenii, peritiæ ac dex-
teritatis laude, ut classis Mathematicæ
Præses renunciatus fuerit, quod munus
obiit ad usque annum 1665. quo fatis
concessit. Verum excitata in Christia-
nos persecutione Astronomia Europæa
aliquamdiu conticuit, veteresque in Ca-
lendario errores recruduerunt, quos rur-
sum P. Ferdin. Verbiestius emendavit,
Academiæ Mathematicæ præfecturam an-
no 1669. in laboris præmium adeptus.
Atque ex eo tempore Astronomis Euro-
pæis semper hic honos est habitus, ut

Tribu-

Tribunalis illius Præſes eorum e numero
Iegeretur. Hodie officio hoc fungitur
P. Hallerſteinius, Successor P. Ignatii
Kegleri, cujus obſervationes in literario
commercio Astronomico maxima cum
laude recenſentur.

Gratum, ut arbitror, Lectori obſe-
quium præſtabo, ſi quæ ad cultum Ma-
theſeos in Imperio Siensi promovendum
authoritate publica condita fuerunt, In-
ſtituta & Collegia paucis exponam. Tria
ſunt Tribunalia, laboribus Astronomicis
destinata; unum quod ad Orientem regiæ
urbis Peckinensis ſitum eſt, in quo ſpe-
cula Astronomica ſtat erecta: alterum ad
Occidentem, in quo calculi ducendi ra-
tio & Astronomiæ theoria docetur: ter-
tium media in urbe non procul a Regiæ
Imperatoris, in quo præcipua & publica
diſciplinæ Mathematicæ negotia traçtan-
tur. Tres porro ſunt classes, quarum
diſtincta ſunt munia: Prima eorum eſt,
qui bus cura incumbit ephemeridum, quas
ſingulis annis in lucem edunt; ſolis
item ac lunæ eclipsium, omniumque eo-
rum, quæ ad calculum ſpectant: Secun-
dæ classi adſcribuntur *Mandarini*, qui
diu noctuque ſtatis temporibus, labore-
que inter ſe diuiſo in ſpecula Astroptica

lias agunt, & ecclipses ac reliqua, quæ a classe prima fuerunt inventa, prænunciataque, ope instrumentorum Astronomicorum accurate observant: Tertiam denique classem constituunt illi, qui publicis intenti operibus, veluti ædificiis, sepulchris, aliisque locum ac tempus cuique suum præscribunt. Hi semper acu magnetica & horologio instructi in publicum prodeunt. Ubi ecclipses aliudve in cœlo phœnomenon observatu dignum occurrit, magnam clepsydram ex æneis vasis compositam tribus ante diebus præparant, ita ut cœlo, quod sæpe nubibus obductum est, deficiente sole congruat. Nonnulli ex iis diu noctuque per vices præsto sunt, ut Imperatori exposcenti horam indicent: aliis nocturnas horas toti Curiæ urbique maximæ campanæ pulsu nunciandi munus ineumbit. Hæ classes hodie ab Europæis meliorem in modum redactæ sunt sublatis prædictionum erroribus.

E Sinis in Europam revertor. Inter Insignes, quos subministravit Societas, Mathematicos primo fere loco memoriandus venit Christophorus Clavius, anno 1537. natus. Scientiam hanc Romæ docuit, ejusque peritia ita excelluit, ut ab

ab exteris regionibus multi illius audiendi gratia eo profecti fuerint. In arduis Astronomiae negotiis ejus exquirere consilia non dubitarunt Tycho, Maginus, aliquique. Certe Ricciolus (c) Ravizzam Professorem suum dicere solitum fuisse asseverat, non minorem a Clavio in Mathesi, quam a Suario in Theologia auctoritatem & ornamentum Societati IESu accessisse: quin Sixtus V. P. M. teste Georgio Leti gravissimum de Clavio judicium hoc tulit: *Si Jesuitæ nullæ alia re de orbe terrarum fuissent meriti, id tamen laudis iis cederet, quod Clavius Mathematicus tam eruditus & celebris e scholis eorum prodierit.* Laborum simul ac laudum pars maxima fuit Calendarii emendatio, quam cum doctissimis Viris ad id muneris a Gregorio XIII. destinatis ipse præ reliquis promovit, apologiis in lucem editis contra maledicos defendit, remque toti Christiano orbi summe proficiam stabilivit. Præter alia ingenii monumenta Commentarium in sphæram Joannis a S. Bosco posteritati reliquit, numeris omnibus absolutum, & ob demonstrationum subtilitatem prorsus admirandum. Ejus opera Mathematica Tomis

(c) *In Chronolog.*

mis quinque comprehensa summam ubique laudem tulerunt.

Clavii vestigia secuti sunt Dionysius Petavius Aurelianensis. Hic in Uranologio seu systemate variorum authorum, qui de sp̄era & sideribus, eorumque motibus gr̄ee commentati sunt, & in opere *de doctrina temporum* plurima solidæ eruditionis Mathematicæ specimina dedit, tantaque felicitate accurationeque rem difficillimam, nempe Chronologiam universam complexus est, ut hæc digna esse visa fuerit, quam præcipui & gravissimi Historici in temporum calculo ineundo sequerentur.

Casparus Schottus, Königshofensis prope Herbipolim, Mathefeos Professor ea ipsa in urbe ac Panormi in Sicilia, qui præter alia plurima naturæ arcana, quæ feliciter in omni fere genere hujus artis scrutatus est, & in lucem edidit, Mathesin quoque universam magno volume illustravit.

Athanasius Kircherus, Geissensis prope Fuldam, qui magnam vitæ partem in docenda Mathesi Rouæ consumpsit, Vir fuit stupendæ eruditionis, & machinis quæ fabrefecit, Museo quod omni antiqui-

quitatum genere exornavit, ac obeliscis Ægyptiis, quos integros restituit, orbi notissimus. Cosmologicæ scientiæ monumentum insigne reliquit *iter Ecstaticum*, in quo totius mundi opificium ab infimo telluris globo usque ad ultima cœli confinia velut peregrinando emensus est.

Joannes Baptista Ricciolus, Ferrarensis, cui mansuetiores simul ac severiores Musæ, Eloquentia, Poësis, Philosophia & Theologia, quas Parmæ ac Placentiæ professus est, magnam nominis famam & gloriam pepererunt, majorem tamen Astronomia. Nam Ptolomæum secutus omnia, quæ tum a Veteribus tum a Recentioribus ad scientiam hanc amplificandam præclare inventa fuerunt, unum in opus digessit, novisque theorematis, problematis, & tabulis a se confectis auxit, atque ordine tam scito disposuit, ut Gassendi judicio (d) Riccioli Almagestum (hunc libro titulum præfixit) instar promptuarii ac ditissimi Astronomiæ thesauri habendum esse videatur.

Ævo nostro ut proprius accedam, de universa Mathesi præclarissime meritus est Claudio Franciscus Milliet Dechales, Cham-

(d) *In Vita Copern. Tom. V. Oper.*

Chamberiensis, suo ut vocant Cursu Mathematico in quatuor omnino Tomos distincto, e quo ęceu fonte plerique post ipsum majorum gentium Mathematici doctrinę rivos uberrimos ac limpidissimos hauserunt. Honorificum quoque inter etatis nostrae præcipios Mathematum Cultores locum sibi vendicarunt Nicadius Grammatici, Tridentinus, & Josephus Falck, Helvetus, quorum prior postquam plures cathedras Academicas in Germania scientiæ suæ radiis illustravit, Madritum iuvitatus Regii Mathematici munus aliquamdiu gessit: præter alia insignia eruditionis specimina edidit methodum novam, qua solis ac lunæ eclipses organice in plano delineari possunt: planetarium novum, ac dissertationem Astronomicam de ratione corrigendi typos & calculos eclipsium solis ac lunæ, quibus aliisque nomen acutissimi Mathematici apud literatos publicis tabulis sibi promeruit. Posterior, ubi per plures annos scientiam hanc in Academia Ingolstadiensi professus est, in Aulam Bavaricam translatus, eruditionis laudem ubique tulit maximam non solum *Mundo Philosophico*, quem in lucem edidit, mathematicis cimeliis probe exornato, verum etiam & vel maxime doctissimis elucubratio-

brationibus & Astronomicis demonstrationibus, quibus Gregorianum Calendarium novis Acatholicorum machinis impugnatum defendit, ita ut omnis adversæ partis vis & impetus omnino fractus, atque hoc in negotio debellatum esse videatur. Exstat insigne monumentum, quod in Bibliotheca nostra Monacensi posuit, globus cœlestis vastus & concinnus, quem exiguum ad pedem Machinæ horologium intra 24. horas circumagit, ut ortus, occasus, locus solis, lunæ, planetarum & siderum oculis quotidie spectari possint. Honoris quoque & grati animi ergo heic nomino Henricum Hiss, meum olim in humanioribus literis, & postea Mathematis præceptorem, qui totam fere vitam in Matheſeos cultu & professione in quatuor Academiis ad senectam usque transegit, lucubrationibus suis consiliisque Mathematicis ad Sinas usque non sine magna nominis fama transmissis clarissimum. His addo viventem adhuc, & multis lucubrationibus ac peregrinationibus celebrem Professorem matheſeos Romanum, Rogerium Josephum Boſcovich.


Illud universim adnotare liceat, non esse ullam Matheſeos partem, quam non seu tomis seu libris seu doctis commenta-

riis illustrarint Patres nostri, quorum centum & undecim additis scriptorum titulis enumerant Alegambe ac Sotvellus in Bibliotheca Scriptorum Societatis.

XII.

Supereft, ut illos etiam recenseam, qui universam calamo complexi sunt Mathesin. Primus fuit, qui gallico & latine idiomate in lucem edidit totam scientiæ hujus Oeconomiam, Petrus Herigonius Parisiis anno 1644. sex tomis comprehensam & vetustate sua commendandam, quamvis ad altius longe fastigium modo evecta sit. Vestigia fecutus est Casparus Schottus S. J. qui opus integrum typis dedit Herbipoli anno 1662. saepius recusum, & in viginti libros divisum, facilique methodo conscriptum. Tertius fuit, de quo memini, Claudio Franciscus Milliet Dechales S. J. qui Mundum Mathematicum anno 1674. vulgavit tribus Tomis; sed quum novam editionem multo auctiorem meditatus ante diem obiisset, Amatus Varcinus ejusdem Societatis anno 1690. auctius ex MSS. Authoris, emendatiusque opus Lugduni Gallorum in quatuor Tomos digestum substituit. Illud singulare fuit Millieto, quod in demonstrando rigori Vete-

Veterum nihil cederet, Recentiorum vero perspicuitatem sibi propriam fecerit, ita ut Cursus hic Mathematicus omnium, qui hactenus publicam lucem aspexerunt, absolutissimus sit. Præter hos eodem labore functi sunt **Wilhelmus Leybourn**, **Anglus**, **Abrahamus de Graf**, **Batavus**, & **Ozanam Gallus**, in quibus tamen variæ partes hujus scientiæ desiderantur. In compendium vastissimam hanc disciplinam rededit primus fere **Petrus Galtruchius S. J.** quem secuti sunt duo Sturmii **Joannes Christophorus**, ejusque filius **Leonardus Christophorus**. Elementa vero universæ Matheœos postremis temporibus magna cum laude ac plurimorum emolumento exposuit **Christianus Wolfius**, Germaniæ ac nationibus exterris notissimus. Alii, qui diversas Mathesis partes doctissime explanandas suscepere, partim supra jam laudati sunt, partim per decursum hujus libri laudandi vñent.





CAPUT III.
OECONOMIA
MATHESIS UNIVERSÆ,
§. I. fol.

*Arithmetica, Geometria, Trigonometria,
Mechanica, Hydrostatica & Hydraulica,
Aerometria, Architectonica
Civilis & Militaris.*

XIII.

Universæ Matheseos species , ut Dialectici vocant , velut vasti corporis membra in unum quasi conspectum dare , suisque singulas characteribus breviter insignire animus est , & summa duntaxat capita recensere ; neutquam vero cuiusvis seu axiomata , scholia , præcepta , seu problemata , theorias , experimenta , aliave arcana stupendaque opera longius persequi . Hoc enim nec temporis , quod infinitum requireret , nec Institi-

ſtituti mei foret, quod non eſt, integras artes & ſcientias docere, ſed illarum ideas, & quidquid eruditus intra ambitum ſuum continent, exponere.

Prima & ordine & neceſſitate oce-
currit *Aritbmetica*. Hæc autem eſt ſcien-
tia numerorum: numerus vero multitu-
do *unitatis*: unitas principium omnis nu-
meri: *numeratio* demum ars ſcribendi,
pronunciandi, ac computandi numeros.
Versatur circa *quantitatem discretam*,
eiusque officium eſt primo quidem, na-
turam & proprietates numerorum decla-
rate, modum eos tractandi exhibere, ſeu
vulgares ſint integri ſeu fracti: propo-
nit etiam de his axiomata ſive veritates
per ſe claras, quibus tanquam principiis
certis nititur: non minus theorematata ſi-
ve propositiones, quæ numerorum po-
testates demonstrant, uti ſunt, quibus do-
cet illos addere, subtrahere a ſe invi-
cem, in ſe ductos multiplicare, atque
inter ſe dividere, quas species etiam per
problemata latius explicat. Alterum of-
ficium eſt, inire rationem ac propor-
tioneſ numerorum ad ſe mutuo, tum A-
ritbmeticam tum Geometricam, quæ fa-
ne totius Matheſeos anima dici potest.
Regulas quoque certas statuit, uti *Au-*
ream,

ream, Societatis, & regulam falsi, calculis Astronomicis, Oeconomiae ac commerciis tam utiles quam necessarias: doctrinam pariter de quadratis & cubicis tradit. Denique multa naturae arcana ope numerorum non raro detegit, & tacitis eorundem virtutibus probe perspetuis modo hariolatur, modo sphingem agit.

Arithmeticam excipit Geometria, quæ a telluris dimensione nomen suum apud apud Græcos derivat. Mensurare solet quantitatem continuam, id est, terram & quidquid uspiam cadit sub mensuram, quæ omnia ad triplicem revocantur classem, scilicet ad lineas, ad superficies, ad corpora. Dicitur etiam Geometria, eo quod dimetiendis agris in Ægypto præcipue, ubi Nili alluvione eorum limites saepius confundebantur, fuerit adhibita: solet enim artium & scientiarum mater esse necessitas. Illa, quæ lineas metitur, verbi gratia altitudines turrium, distancias locorum, fluminum latitudines, & quæ alia per mensuras exquiruntur, Longimetria vocatur. Hæc præmissis definitionibus doctrinam de lineis, angulis, triangulis, & circulo per theorematum & problemata proponit: tum vero descripit

ptis instrumentis ad usum necessariis theo-
rice ac pratice altitudines quascunque
mensurare docet. Altera dicitur *Plani-
metria*, cuius est superficies seu areas
hortorum, sylvarum, pratorum, &c. ad
mensuram vocare. Hinc primum diver-
sas areas superficierum secundum longi-
tudinem & latitudinem consideratas enu-
merat; post de iis formandis, dividen-
dis, ac dimetiendis, commutandis, au-
gendiisque varia theorematæ & problema-
ta profert: denique praxin tradit, qua
commode accurateque dimensiones ejus-
modi in campo aperto queant institui.
Ultima est & appellatur *Solidometria* seu
Stereometria, quæ circa corpora, quate-
nus solida & capacia sunt, vasa, cubos,
conos, &c. mensurando versatur. Ex-
plicat primo diversas sortes corporum so-
lidorum secundum longum, latum & pro-
fundum: dein post theorematæ universa-
lia methodum ea metiendi variis proble-
matis exhibet: demum de proportione, qua
corpora ad invicem comparantur, agit.
Eo amœnior autem est hæc ars Geome-
trica, quod coeli terræque immensa spa-
tia, quoisque sensus humani sagacitas ex-
tendere se potest, facili negotio determi-
net, eoque utilior simul, quod hominum
commercio ac commodo, nempe ponen-
dis

dis limitibus, & litibus finiendis mire
deserviat.

Geometriæ merito ad socianda est *Tri-gonometria*. Dum enim illa tam theori-am quam praxin suam triangulis absol-vit, in quibus tria latera, tresque angu-li reperiuntur, hæc docet rationem, qua triangula resolvuntur, quando tribus *datis* seu cognitis (sive anguli sint sive la-tera) quartum eruit incognitum. Di-viditur autem in *Planam* & *Sphæricam*: Plana docet triangula plana resolvere ope sinuum, tangentium & secantium, ut Ma-thematici vocant. Quare harum rerum notitiam præmittit; postmodum ad theo-remata & problemata progreditur, quin & tabulas proponit, e quibus numeri re-spondentes, faciliorque solutio peti potest. Sed sphærica sphæricis triangulis resol-vendis occupatur. Hæc explicata sphæ-ra, ut adpellant, *Armillari*, ejusque cir-culis maximis ac minoribus cognitis rur-fus ostendit per theorematum & problema-ta modum resolutionis, uti ad exactam Astronomiæ notitiam summe necessarium, ita oppido difficilem.

Mechanica, e qua disciplina innume-ræ fluxerunt artes, instrumentorumque varia supplex originem duxit, scientia
est,

est, quæ circa machinas versatur, & ma-
jora pondera minore virium impendio
movendi artem docet. Duplex est, quo
Mechanica fungitur, munus: primo qui-
dem naturam gravium corporum, (quan-
tum ad Mathesin pertinet) eorundem
molem, massam seu quantitatem mate-
riæ, gravitatem, hujusque centrum, li-
neam quoque, qua ad istud gravia diri-
guntur, motum ac celeritatem, denique
machinarum principia examinat: secun-
do modum tradit, quo machinæ fabre-
fiant, tum *simplices*, uti vectis primi ge-
nēris, in quo fulcrum, secundi ubi pon-
dus, ac tertii, ubi potentia in medio
posita est: tum *compositæ*, uti sunt axis
in peritrochio, trochlea, planum inclina-
tum, cohlea, cuneus, &c. Hæc explicat
per theorematum generalia tum singu-
laria, atque per problemata: præterea
regulas motus tradit, tum illius, qui per-
cussionis & projectorum ac pendulorum
vocatur, tum qui fit in plano inclinato, &
per vim, qua corpora centrum fugiunt.
Nonnulli a Mechanica distinguunt *Stati-
cam*, tanquam illius partem, a ponde-
rando & librando sic dictam, quæve do-
ctrinam & præcipue usum trutinæ, state-
tæ ac libræ tradit. Cæterum Mechanica
ea sane scientia est, quæ non solum in

artes liberales, verum etiam in opificia & labores rusticos, ac instrumenta his necessaria tacite dominatur, quamvis pauci sint, quibus regulæ & arcana Mechanicæ pateant.

Hydrostaticam & Hydraulicam, scientias licet inter se distinctas, plerique velut jure agnationis conjungunt, quum posterior iisdem, quibus prior, principiis innitatur. Illa comparat fluidorum corporum pondera tum inter se, tum etiam cum solidis, quæ fluidis immersit; vim premendi ac gravitatem considerat, & utrorumque motum certis regulis determinat. Altera vero, nempe *Hydraulica*, speciatim de aquarum fontibus & ascensu vel naturæ vel artis ope procurato, ejusque velocitate agit. Non pauca spectacula sane amoenissima salientium aquarum immisso vel extracto in tubis aut vasis aere intuentibus offert posterior hæc scientia.

Ut de *Aerometria* quid dicam, scientia hæc est metiendi aerem. Hoc ut facilis feliciusque consequatur, aeris, qui corpus est fluidum, telluri circumfusum, omne spatium occupans, nisi aliud corpus obstat, quo impediatur, aeris inquam naturam considerat: tum ad illius proprie-

prietates descendit, quarum prima est, quod sit fluidus, & ubique diffundere se gaudeat: altera, quod sit elasticus, sequi expandere & ab alio corpore compressum pristino statui restituere circum-
quaque nitatur: tertia, quod rarefieri possit, ita ut ope caloris aut alterius vis accendentis per majus spatiū extendi se patiatur, aut condensari, ita ut frigore aut vi alia constrictus spatiū minus occupe: quarta, quod sit agilis, unde sonus ejusque modulatio, ac ventus oriuntur. Has proprietates per theorematā & problemata explicat, dum instrumenta aerea describit & explanat, uti Barometra, Thermometra, Hygrometra, Manoscopia, Hydroscopia, Antliam pneumaticam, &c. Denique proportiones gravium inter se exponit. Hæc scientia, quæ alias nobile Physices caput est, quod absque Matheſeos auxilio digne nequeat explicari, inter disciplinas Mathematicas merito refertur.

Sequitur *Architeclonica*, quæ in *Civilem* & *Militarem* dispescitur. Civilis est scientia bene ordinandæ alicujus ædificii exſtructionis, quæ conceptæ ideæ ac desiderio inquilini satisfaciat. Ipsa enim structura operarum potius & opificum,

quam Architecti munus & labor est
Hanc artem peperit primo necessitas ad
arcendas cœli ac tempestatum injurias :
dein aluit commoditas , ut suis cuique
functioni locus esset : demum absolvit
magnificentia, quæ vel in templis ad Dei
cultum , vel in Principum palatiis ad
ostentationem eniteret. Ad hujus perfe-
ctionem , si Vitruvio Architectorum fa-
cile principi credimus, multæ aliæ artes
& scientiæ operam suam conferant ne-
cessse est : Geometria cum Arithmetica ad
mensuras capiendas , Physica cum Medi-
ca ad salubritatem ac situm loci commo-
dum , Astronomia ad plagas determinan-
das, Jurisprudentia ad lites removendas,
& Oeconomia ad prospiciendum de ne-
cessariis , & ad parcendum sumtibus. Pro-
ponit primo proprietates ædificii , ut fir-
num & solidum , ut commodum & uti-
le, ut ordinatum & pulchrum sit. Post-
modum ad artem delineandi progreditur,
ubi exponit totum adparatum , qui ex
columnarum ordinibus quinque , Tusco ,
Dorico , Jonico , Corinthio , & Composi-
to seu Romano emergit, una cum earum
partibus *Fastigio*, in quo corona, Zospho-
rus, Epistylium ; *Columna* in qua Capitel-
lum , scapus & basis ; *Stylobata* , in qua
supercilium, truncus & pes consideranda
veniunt.

veniunt. Harum partium omnium tam superiorum quam inferiorum proportionem ac symmetriam docet. Tum ichnographiam, orthographiam ac scenographiam totius ædificii exhibet. Demum ornatum, quem portæ, fenestræ, aulæ, conclavia, &c. toti structuræ conciliant, pluribus explicat. *Militaris Architectonica* est scientia muniendi locum, in quo se pauci cum emolumento contra plures defendere possunt. Primus labor est, definitiones linearum, angulorum, partium interiorum & exteriorum accuratas proferre: post hæc theoremata de munitione ac tuitione tum generatim, tum singillatim de quavis parte munienda & construenda tradi solent: problemata vero docent munimenta delineare secundum varias variorum hac in parte illustrium Architectorum methodos. Afferuntur quoque præcepta ad rite oppugnandum ac defendendum munimentum necessaria: præterea qua ratione aciem instruere, metare castra, pugnas ordinare oporteat, quibus omnibus subnectitur *Pyrotechnica* explicans ea, quæ pertinent ad machinarum bellicarum usum & vim, quam a pulvere pyrio habent.

§. II.

*Optica, Astronomia, Geographia,
Chronologia, Horographia, Algebra.*

XIV.

*O*ptica est scientia, quæ ad sensum visus, & ea quæ videri possunt, referuntur. Ob varietatem suam tripartita divisione distinguitur in *Opticam* propriam dictam, quæ de visione directa, in *Catoptricam*, quæ de reflexa, & in *Dioptricam*, quæ de refracta doctrinam tradit. Nec solum radiis, qui visui serviunt, explicandis, verum etiam amoenissimis oculorum ludibriis exhibendis nata factaque est. Optica de oculo, admirando illo visus instrumento, de radiis videndi potentiam excitantibus, deque speciebus ut vocant, de angulo optico & axi multa differit. Catoptrica (scientia visionis reflexæ, quam facit radius, qui in speculum incidit, & ab eodem redit ad oculum) radiis incidentibus & reflexis, lineæ puncto, in quod incidit, recta insistente, ejusque catheto & angulo duplici, his inquam omnibus rite explanandis occupatur: præterea proprietates explicat speculorum triplici generis, plani, convexi, & concavi, eorumque

rumque usum certis legibus determinat, simulque miram & stupendam virtutem ac vim urendi seu causticam declarat. Dioptrica vero tota est in exponendis do-
tibus radiorum luminosorum, dum recta
pergunt ac oblique incident in corpus
densius vg. vitrum vel aquam : quod
ubi fit, a via recta deflectunt, & qui-
dem in ingressu ad *perpendiculum*, in
egressu autem a *perpendiculo*. Insuper de
diversis radiorum affectionibus agit, quan-
do incident in vitrum planum, conve-
xum & concavum, de tubis Dioptricis,
microscopiis, magicis *laternis*, ut vocant,
& *cameris* obscuris. Cæterum opticæ pro-
prie dictæ sociatur *Perspectiva*, quæ ex
principiis opticis docet rem quamvis ob-
jectam ita delineare in tabula, ut eam
exhibeat figuram, quæ oculo in certo quo-
dam puncto designato id per tabulam vi-
tream erectam, interjectamque contuenti
se offert. Hæc uti Architectis & Pi-
ctoribus magni nominis admodum fami-
liaris, ita etiam spectantibus non raro
amœnissima est.

Astronomia, quæ apud Veteres pri-
mosque Mathesis cultores fere sola domi-
natum exercuit, astrorum scientia est,
rationem habens eorum phœnomenorum,

quæ in sideribus maxime memoranda nobis occurunt, vg. motus, magnitudinis, distantiarum, &c. Itaque Astronomiæ munus est, tradere causas illorum, quæ nobis in terra versantibus supra nos in cœlo & stellis adparent, temporumque vicissitudines pariunt, quibus perceptis totius cœli faciem exponere, futura prædicere, ac præteritis certa tempora assignare noverimus. Comodissime in *Sphaericam*, *Theoreticam* & *Chronologicam* dividitur. Prima explicat phænomena omnibus sideribus communia, maxime vero motum primum, quem *raptus* motum appellant, quo sidera ab ortu in occasum circa mundi axem per utrumque polum transferuntur. Altera, quæ nomen trahit a theoriis seu armillis fabrefactis, quibus Veteres corporum cœlestium, præcipue planetarum orbis exhibere solebant, agit de motu secundo, sive singulis sideribus proprio, & quæ inde oriuntur phænomenis. Tertia temporum ab hoc utroque motu dependentium rationem init. Præmisso quodam velut adparatu Cosmico de cœli siderei amplissimis finibus, ejus natura & proprietatibus, ac divisione, qua multiplici uti solent Mathematici, de terræ figura, mundi centro, de sytemate Ptolomaico, Philolaico seu Copernicano,

Tycho-

Tychonico, quæ tanquam hypotheses statuuntur, ut per eas motus & situs astrorum adparentes & veri tum arithmeticum geometrico calculo facilius eruantur, præmisso inquam hoc adparatu per definitiones & scholia motus siderum communis cum ejus termino, scilicet Metidiano loci, motus cuique proprius, *Declinatio* seu ad Austrum seu ad Boream, *Ascensio* recta & obliqua stellæ in Æquatore, ortus & occasus, situs sideris tum physicus tum opticus, & parallaxis, altitudo & culminatio, ac domus cœlestis seu pars duodecima cœli, Astrologis ad suos horoscopos effingendos servitura, declarantur. Subjungitur methodus calculi Astronomici, id est, numerorum in hac scientia usitatorum, quæ motui siderum ac tempori inde pendentri sit accommodata, ejusque paradigmata producuntur. Monstratur quoque via inventi lineam Meridianam & poli elevationem, variaque problemata scitu dignissima in sphæra & globo cœli æmulo solvenda proponuntur. In his enim geminis machinis ante oculos ponit Mathesis mundi cardines, Zodiaci, Æquatoris, Meridiani circulos maiores, aliosque minores, utrumque polum, &c. miro artificio, quo quidquid natura ejusque Au-

etor Deus in cœlis negotiantur (scilicet ortum & occasum solis , lunæ , cæterorumque planetarum ac siderum , æquinoctia & solstitia , novi ac plenilunia , diversum situm ac motum stellarum tum errantium tum fixarum , dies & horas) suis quæque intervallis ac temporibus distincta velut spectanda præbet . Sphæricam Theoretica sequitur , & præmissis quibusdam definitionibus Eclipticæ ac signorum , Apogæi & Perigæi , loci veri , apparentis & medii , anomoliæ , &c. solis naturam igneam , ejus figuram , triplicem circa terram motum , communem cum primo mobili , proprium in Ecliptica , & eum quo ab Æquatore nunc ad Austrum nunc ad Aquilonem declinat ejusque maculas sedulo scrutatur : non minus lunæ ac reliquorum planetarum indolem , altitudinem , motum vertiginis circa proprium axem , parallaxin , phases , aliaque investigat ; per problemata vero solis & lunæ cursum , a quo temporum ratio pendet , distantiam a terræ centro , fixarum lumen , atque cometas , eorumque genesin ac motum explicat . Post hæc ad eclipses solares , lunaresque tum per calculum prædictandas , tum accurate observandas , ad determinanda novilunia ac plenilunia progressitur , labore quidem maximo , sed non mino-

minore fructu ac utilitate publica. Denique finem imponit Chronologica, de qua paullo post dicendi locus erit.

Geographia scientia est, quæ dimetendi ac describendi globi universi, quem *Terraqueum* vocant, seu ex terra & aqua compositi, laborem in se suscipit. Quamvis autem *Geographia*, seu accurata omnium regionum descriptio, diligensque terræ in regna & nationes distributio ad Mathesin minime pertineat, generalia tamen *Geographiæ* principia, quibus in scientiarum numerum adscribitur, ita cum mathematicis disciplinis connexa sunt, ut ab iis dividi & separari non possint. Considerat itaque tum partes physicas terræ & aquæ, ut sunt terra firma, continens, isthmus, &c. maria, sinus, flumina, &c. tum mathematicas, puta circulos, zonas, climata, &c. præterea longitudinem, latitudinem ac distantiam locorum, quæ omnia inveniendi modum tradit: porro doctrinam de mensuris, & usu mapparum *Geographicarum* proponit, simulque illas tum generales tum singulares conficiendi, struendique globi methodum proponit, insigni viarum compendio, quibus parcere potest, qui per terras & maria sine pedibus peregrinari cupit.

At *Chronologia* præses & moderatrix temporis est, quod ex mensura cursus cœlorum determinat. Est autem hoc vel Astronomicum, vel Ecclesiasticum, vel Politicum seu civile. Quantum ad Astronomicum adtinet, agit de anno solari, & lunari, de mensibus, quos iidem planetæ cursu suo signant, deque diebus horis & *minutis*: in Civili vero anni Juliani, Communis, Bissextilis, &c. in Ecclesiastico festorum mobilium & immobilium, lunæ novæ ac plenæ, Eptastarum, Cyclorum & numeri aurei rationes init. Demum *Calendarium* variasque ejusdem correctiones, præsertim Gregorianam a tot fidei Orthodoxæ ac Romanæ Ecclesiæ hostibus per tot annos impugnatam, nunc autem fere ubivis, etiam in Germania receptam exponit, cunctaque diversis problematis illustrat.

Chronologiæ, quæ tempora per solis lunæque cursum metitur, affinis est *Horographia*, seu *Gnomonica*, quæ scientia est delineandi horologia tam solaria, quam siderea, seu in plana, seu in aliis diversis superficiebus assignatis. Nimirum ea pars est Astronomiæ, quæ per umbram solis ac lunæ artificiose exceptam eorum cursus mensurat, atque ita temporis spatium,


tium, quod hoc cursu suo metiuntur, oculis spectandum in horologiis sciatericis exhibet. Fit hoc plerumque ope gnomonis, aut radii solaris per ejus foramen aliquod transmissi. In ipso limite horologiorum definitiones exponit: Æquinoctialis, Horizontalis, Polaris, Verticalis, Orientalis & Occidentalis, &c. Sequuntur problemata, quibus explicat modum & praxim describendi diversissimi generis horologia, diurna & nocturna, plana, sphærica, cylindrica, conica, &c. inscribendique signa Zodiaci, & horas Babylonicas, Italicas, Judaicas, &c. Est hæc scientia utilissima simul & jucundissima, ubi tanta ubertate hucusque laboratum est, ut in nulla scientia tot methodi inventæ, tot libri editi, quam in Gnomonica.

Inter omnes vero Matheſeos partes, licet ultimum occupet ſubſellium, præstantiſſima a plerisque cenſetur ea, quam communi vocabulo *Algebram* nominamus, quippe quæ, uti Dechales ait, nulli dignitate cedit, nullis numerorum aut mensurarum finibus, nulla magnitudinum mole ſatis continentur, quin ulterius excurrat, & plerasque & intricate quantumlibet quæſtionum ambages sagacitate mirabili felicitate explicet. Est autem scientia, quæ ex-

quan-

quantitate nota, dataque incognitam eruit
ope æqualitatis. Dividitur in *Numerosam*,
cujus Author perhibetur fuisse Diophantus
Alexandrinus, occupaturque circa nume-
ros, atque adeo proprie dictum Algorith-
mum, additionemque, subtractionem, mul-
tiplicationem, divisionem, radicum *extra-
ctionem* exercet : & in *Speciosam*, quæ
Francisco Vietæ tribuitur. Utitur hæc li-
teris Alphabeti, tanquam rerum specie-
bus, & præmissis theorematis de propor-
tione Arithmetica, Geometrica, & Poten-
tiis profert ea, quæ ad Analysis requi-
runtur, scilicet *Denominationem*, *Equa-
tionem*, *Reductionem*, seu *Resolutionem*, ut
vocant, totumque artificium problemati-
bus sane mirandis demonstrat. Propterea
nonnulli Algebraam *Divinam* adpellare non
dubitant, quoniam a sensuum cognitione
remotissima perscrutatur, abstrusaque my-
steria tanta facilitate aperit, ut oracula
fundere ac ex tripode loqui videatur. Cer-
te nostris temporibus, quibus ad omnem
apicem exculta fuit, tanti est momenti,
ut non solum Arithmetica Generalis, sed
& culmen humanæ scientiæ celebretur.
Fateri tamen oportet, quæ nunc nova,
Antiquis tamen non fuisse omnino inco-
gnita, iisdemque etiamnum niti funda-
mentis, quæ Clavius noster integro libro
non

non minori eruditione quam scientia complexus est.



CAPUT IV.

OECONOMIA MATHESIS SPECIATIM CONSIDERATAE, ET QUIDEM PRIMO GEO- GRAPHIA.

§. I.

Notitia orbis terraquei.

XV.

In synopsim redactam exhibui Matheseos scientiam & artem. Juvat nunc conspectui sistere quatuor ejusdem, ut vocant, species præ reliquis aptiores ad demonstrandam scientiæ hujus eruditionem, publicam utilitatem, amoenitatemque ; quod ut faciam prætermisis aliis, instituti mei ratio suadet ac postulat. A Geographia initium duco, cujus notitia hominibus literatis adeo necessaria est, ut hujus expertes fateri non sine gemitu debeant cum illis apud Homerum nautis : (e)

O Se-

(e) In *Odyssæa*.

*O Socii ! neque enim noctis quo cardi-
ne surgat*

*Caligo, vel qua r̄seis aurora quadrigis
Vecta diem referat, præcepsque ubi
lampada condat*

*Titan, qua curru terram superetve
supino,*

Novimus.

Et quidem primum nosse oportet, qua ratione magni hujus globi, ejusque partium notitia tum qua terras tum qua aquas complectitur, ad nos usque pervenerit. Terras aperuerunt diversæ peregrinationes & expeditiones bellicæ a diversis suscepτæ, aquas navigationes. Initio quidem modica terræ portio circa Damascum primis Parentibus, eorumque filiis ac nepotibus patuit: at submerso per diluvium humano genere pene omni, per Noënum tamen brevi restaurato, dividi in tres Patriarchæ filios, horumque posteros, & confusis ad Turrim Babyloniam linguis, sublatoque inter gentes commercio ubique frequentari cœpta est. Auctis subinde familiis initium datum est peregrinationibus, quæ Asiacæ Africæque partem aliquam nobis notam fecere. Abraham enim ille multarum gentium Pater ipsius Dei jussu relicta patria, superato-

que

que Euphrate cum suis terram Chanaan occupavit : Jacob vero Josepho filio per totam Ægyptum dominante eo se translit cum ampla familia sua : qua rursus deserta Moses cum omni Hebræo populo in terras a Deo promissas migravit. Harum ope peregrinationum multæ regiones Asiæ Africæque , regna & gentes , quæ suos intra fines latitabant , detectæ fuerunt. Successere his expeditiones , præcipue Alexandri M. Romanorum & Parthorum. Multa enim , ut ait Eratosthenes apud Strabonem , innotuerunt , ubi Alexander , qui tot ferme victoriis , quót passibus Asiam peragravit , magnam illius partem & Europæ regiones Septentrioni subiectas ad Istrum usque omnes nobis aperuit. Romani vero orbis pene Domini occiduas Europæ terras usque ad Albitim fluvium , qui Germaniam in duas partes dividit , & quæ trans Istrum sunt usque ad Tyram fluvium , armorum gloria illustrarunt. Quin & Africæ partem , qua Septentrionem spectat , eversa Carthaginem in provincias divisam posterorum memoriae reliquerunt. Ulteriora vero usque ad Maeotidem lacum & oram maritimam , quæ ad Colchos finitur , Mithridates cognomento Εὐπάτωρ cum ducibus suis notas reddidit. Parthi Hyrcaniam ,

Bactrianam, & Scythiam, quo illorum se se imperium extendit, detexerunt. Inde ab æra Christiana variæ nationes Quadi, Sarmatæ, Hunni, Vandali, Slavi, Bulgari, Saraceni cum patriis sedibus suis, e quibus tanquam e latibulis erumpentes diversas Italiæ, Hispaniæ, Germaniæ, Poloniæ, Pannoniæ partes invaserunt, per tristes nimium clades, & multas fortunæ vicissitudines orbi innotuere. Asiæ Orientalis, qua Indos, Chinense regnum, & Japoniæ Insulam comprehendit, Africæ quoque Meridionalis, & totius ferme Americæ cognitio a divini verbi Præconibus illuc missis, ac longe meliorem in his partibus quæstum exercentibus hausta fuit, & per literas, quibus regionum illarum situs, sedes & populorum mores additis mappis Geographicis curatissime consignarunt, in Europam translata. Atque ista Geographicæ, quæ terras complectitur, notitiæ incrementa sunt.

XVI.

Maritima vero magnas fecit progressiones, ubi hominum superbia & auri sacra fames invaluit. Quippe aliis terra nimis angusta pro dominandi libidine, aliis plus æquo parca pro cupiditate opum augendarum videbatur. Hinc immanni au-

su natantes in aquis domus & castella ædificare, velis remisque instruere, cum ventis & fluctibus præliari, & per Neptunia regna late circumvolitare cœperunt. Historici Æginetis, Phœnicibus, Tyriis, Britannis inventi hujus genus adscribunt; Poetæ vero Neptuno, Baccho, Herculi, Jano, Jasoni, &c. Hæc dubia: illud certum, primam navigandi ideam hominibus monstrasse Numen. Non enim ante arcam a Noemo divino jussu fabricatam navigatorum marisque usum fuisse mortalibus vel hinc patet, quod conspesto hoc mirabili ædificio, velut viso quodam monstro, irati Numinis interpres Noe nonnisi sibilis & cahinnis exceptus fuerit. Verum primi Navitæ circa litora duntaxat navigationes instituerunt & præ datum & mercatum, ut ait Eratosthenes, non ut in altum eveherentur, sed litus tantum legerent; quamvis navigationes istæ satis remotæ ac longinquæ fuerint. Sed crevit felici rerum successu audacia: vela. ventis & naves undis, vitamque fati, quæ viam invenirent, crediderunt. Unde navigatio quædam mortis professio ingeniose dicta est a Phædro: (f)

Uti-(f) *Lib. 5. Fab. 6.*

*Utinam ne unquam Pelei jugo
Pinnus bipenni concidisset Thesalla,
Nec ad professæ mortis audacem viam
Fabricasset Argus ope Palladio ratem.*

Navium autem dirigendarum gubernandarumque disciplinam nullam tenuere Veteres aliam, præter quam astrorum, solis ac lunæ sedula observatio illos docuit. Sed & hoc auxilium quando nubilum cœlum subduxit, ventorum impetum, aut itineris antea confecti vestigia memorie impressa sequebantur, donec magnetis *verticitas*, ut vocant, seu virtus se dirigendi ad polum, Europæis publice innovavit industria Joannis Goiæ, seu Giræ (alii Flavium Amalphitanum adpellant) circa annum 1302. Jam vero hæc navigationum circa litora institutarum frequentia primum Græci & Carthaginenses Europæ Meridionalis, Africæque Borealis, tum Britanni ejusdem Europæ Septentrionalis maria, freta, sinus, & oras maritimæ detexere. Accedente mutuo populorum commercio interiora quoque & viscera magnarum orbis partium istarum sensim patuerunt: quin Phœnices ultra Herculis columnas progressi Africam quoque Australem, variasque insulas per Atlanticum Oceanum dispersas non

non minus felici quam sagaci labore investigantes aperuere. Romani etiam aucto in dies dominatu in omnes Europæ, Africæ, Asiacque, qua Occidentem spectat, portus sese insinuarunt. Demum longo post seculorum intervallo Europæ maritimæ nationes fere omnes velut dato signo per Oceanum iter agentes, Lusitani & Batavi in Asiam Australem & Orientalem; Hispani, Galli & Angli in Americam insulasque adjacentes penetrare sunt visi. Quin eo progressa est audax humani generis solertia, ut non defuerint, qui navigiis suis totum terrarum qua late patet orbem fuerint emensi. Prima tanti dux facti fuit navis Victoria, impensis Caroli V. instructa, & Ferdinandō Magellano, Viro rei nauticæ peritissimo commissa. Hæc anno 1519. die 10. Augusti mensis e portu Hispalensi faustis avibus solvit cum quatuor aliis navibus, virisque omnino supra ducentos triginta septem. Superato post binas procellas mari Occiduo trajecit fretum, cui nomen ducis sui imposuit Magellanicum, ac cursu felicissimo per mare Pacificum innecta insulas Latronum aliasque plures in Archipelago S. Lazari dispersas detexit. Gubernatore autem Magellano, dum in insula Zabut pro tuendo illius Rege

ad veram fidem converso contra barbaros fortiter dimicaret, anno 1521. gloria morte sublato, reliqui praeclaræ hujus expeditionis superstites socii, numero duntaxat octodecim, unica cum navi Victoria per Moluccas & Caput bonæ spei Hispalin reversi sunt, confectis 14460. leucis: tota vero navigatio annis tribus, & diebus viginti octo stetit. Ubi ad portum Hispalensem 8. Septembr. 1522. adpulerunt, universa ad spectaculum antea non visum effusa urbe nudis pedibus, & ut erant solo tecti inducio accensam faciem singuli manibus præferentes Basiliacam sunt ingressi, seque factis cœlo votis exsolverunt. Altera, quæ viam hanc tentavit, erat navis Francisci Draci, Equitis Angli anno 1578. rediit post annos fere tres, spoliis onusta, & tribus duntaxat sociorum desideratis. Tertia fuit Thomæ Candisc, Nobilis Angli an. 1584. exactis duobus annis, & uno mense redux. Quarta Simonis Corderii, Roterdamensis, an. 1597. in Hollandiam reversa. Quinta Oliverii a Noort an. 1598. quæ elapsis duobus annis & mensibus undecim ad patrios Hollandiæ fines remeavit. Sexta navis, dicta Amsterodatum, Gubernatoribus Jacobo Maire ac Wilhelmo Schouten an. 1615. annorum duorum,

rum, dierumque octodecim exantlato itinere. Septima demum navis gemina Jacobi Heremitæ & Joannis Hugonis, quibus nomina Concordiæ & Hernanæ imposita fuerunt an. 1623. utroque duce his sublato reversa tamen sunt navigia in Hollandiam post annos duos, totidemque menses. Tot impensis, laboribus & periculis, ipsaque morte dignam censuerunt mortales peregrinationem per totum terrarum orbem non sine maximo Geographiæ emolumento suscepitam.

XVII.

Præter has tum peregrinationes tum navigationes non defuerunt partim, qui terrarum aquarumque notitiam a Majoribus sibi traditam, vel propria haustam experientia in ordinem redegerunt, ac litteris & libris consignatam posteritati reliquerunt; partim qui globum hunc terrestrem per institutas sedulo observationes cum cœlesti ac sidereo conciliantes notata regionum locorumque longitudine vastam terrarum aquarumque molem omnem Geographicis qua generalibus qua singularibus Tabulis ingeniose non minus quam accurate complexi fuerunt. Moses, qui Hebræum populam Dei jussu ex Ægypto eductum rexit annis quadraginta,

ta , primus omnium fuit , qui Historiam geographico charactere consignatam conscripsit ab orbe condito usque ad obitum suum bis mille septingentos ac novem annos complectentem . Certe tum e mundi nascentis descriptione , tum e variarum gentium , regionum ac fluminum , totiusque itineris in terram promissam recensione patet , eum non solum Historiæ , sed etiam Geographiæ seu potius Cosmographiæ fundamenta jecisse . Profanos inter præcipuus Geographicæ auctor peritiæ Strabone teste (g) fuit Homerus : hic qui annis post Mosen quingentis vixit , non modo poetica virtute omnes se priores & posteriores superavit , sed vitæ quoque civilis experientia , qua plurimum adjutus non in id duntaxat incubuit , ut mores hominum penitus cognosceret , eosque ad posteritatem transmitteret , sed etiam locorum tum quæ singularum sunt regionum , tum totius qua late incolitur , terrarum orbis , marisque notitiam sibi & aliis exploratam familiarem redderet . Profecto Iliadem Homeri ac Odysseam lustranti dubium esse non potest , quin non modo Astronomiæ , motuumque cœlestium , ut alibi diximus , sed etiam variarum regionum , marium , populorum ,

(g) *Lib. x. rerum Geographic.*

rum, quorum situs, divisiones, fines habitationes ac genium poeseos ope vivis veluti coloribus depingit, optime gnarus fuerit. In ipso Odyssæ exordio gloria tur apud eundem Ulysses, se: *Multorum vidisse hominum cum moribus urbes.* Et Menelaus similiter:

*Cyprum, Phœnicemque, per Aegyptum
que vagatus
Æthiopes adii, tum Sidonios & Erem-
bos,
Et Lybien, ubi cornutos conspeximus
agnos, &c.*

Homerum ducem secuti sunt in Geographico itinere illustres ac magni nominis Viri Anaximander Thaletis discipulus, & Hecatæus Milesius, quorum ille primus, si fides Eratostheni apud Strabonem, geographicam edidit Tabulam; hic vero commentarium reliquit, quamvis laudem hanc alii vendicent Scylaci e Caria oriundo, qui circuitum mensuramque telluris ac maris in conspectum dedisse primus fertur. Hunc e Græcia in Latium transfudit Isaacus Vossius, notisque illustravit. Reliquorum qui proxime ab ipsis idem sunt conati, vix alia supersunt vestigia, qnam

quam sola nomina, quales fuerunt Pytheas Massiliensis, Thimosthenes Rhodius, Eratosthenes. Hodie, quos ex antiquis frequenter usurpamus, sunt e Græcis Strabo, qui Geographiæ libros septendecim, Cl. Ptolomæus, qui libros octo: e Latinis Pomponius Mela, qui de situ orbis libros tres, scripserunt. Qui vero propinquioribus seculis, nempe hoc quod vivimus, & prioribus duobus Geographiam veterem illustrarunt, præcipuos inter locum obtinent Abrahamus Ortelius, qui Thesaurum Geographicum & *πάρεργον* Geographiæ veteris: Petrus Bertius, qui theatrum ejusdem veteris Geographiæ, & Jo. Janssonius, qui accuratam orbis antiqui delineationem seu Atlantem ut vocant, in lucem edidere. Recentem Geographiam præ reliquis excoluerunt Gerhardus Mercator, & Jod. Hondæus, qui ad finem seculi XV. primi Atlanticum de quo dixi opus meditationi sunt, a Joanne postmodum ac Wilhelmo Blaeiis, & Jo. Janssonio ad octo usque tomos auctum. Circa idem ferme tempus anno 1579. Ortelius, cuius supra memini, Theatrum orbis terrarum in lucem publicam emisit, nec diu post Nicol. Sanson, Abævillanus, Tabulas generales totius mundi octo supra nonaginta vulgavit. Ultramque Geographiam opta-

optato sœdere conjunxerunt Jo. Maginus, Phil. Brietius S. J. Allain Manesson Mallet, &c. Inter eos, qui coindustria methodo usi sunt, commendantur Georg. Fournerius, & Phil. Cluverius, Homanus & Seuterus, &c. Denique Geographiæ ac Hydrographiæ Reformator existit Joan. Bapt. Ricciolus e Soc. JESU. editis hanc in rem Bononiæ libris duodecim eruditissimis. Hodie præclara Caligraphorum industria & contentione plena est Europa Atlantibus qua parvis qua magnis, iisque perquam accuratis, copiosis & ad omnem elegantiam elaboratis.

§. II.

Divisio & Indoles Geographiæ.

XVIII.

Dejecta ratione, qua in orbis terrarum notitiam qua itineribus, qua libris & tabulis ventum est, ipsum Geographiæ artificium penitus inspicere oportet. Dividitur in Mathematicam, Naturalem & Politicam. Mathematica partitio est illa, quæ a scientiæ hujus peritis fit circulorum mente conceptorum ope, quibus cœli terræque connexio & mutuum quasi commercium ante oculos ponitur.

nitur. Physica, quam suppeditat partim natura ipsa, dum orbem hunc divisit in continentem & aquam, partim huma-
num arbitrium, dum has tanquam par-
tes maximas illarum incolæ & accolæ
inter se distribuerunt in alias majores &
minores portiones; uti terram quam vo-
cant firmam, in Europam, Asiam, Afri-
cam, & Americam, hasque rursum in
regiones certis limitibus circumscriptas:
Aquam vero in Oceanos, Maria, Fretæ,
& Sinus. Politica deinceps, quæ jure bel-
li aut per pacis foedera est facta a Mun-
di hujus Monarchis in Imperia, Regna,
Provincias, Episcopatus, Principatus, alia-
que Dominia, quæ a Geographis pun-
ctorum ope aut colorum varietate in
mappis distinguuntur. Ultima hæc par-
titio seu Politica (quum vel temporum
successione, vel bellorum injuriis, aut
aliis urgentibus fatis varias subierit vi-
ces, ita ut Provinciæ urbesque multæ
magni apud Veteres nominis eversæ vel
collapsæ, suis ruinis sepultæ fuerint, po-
puli non pauci patriis finibus egressi alienas
terras occuparint, regnorum limites
fas vel nefas humanæ potentiae contra-
xerit aut plus extenderit, Monarchias
quoque ab una in aliam gentem Dei,
per quem Reges regnant, providentia
trans-

transtulerit, atque ita urbium, populo-
rum, provinciarum regnorumve nomina
priscis successerint nova.) Politica inquam
hæc partitio merito in *Veterem* quoque,
Medium & *Novam* discriminatur. Vete-
ris officium est, loca locorumque nomi-
na recensere, a Mundi exordio ad illud
usque ævum usitata, quo Monarchia Ro-
mana initium duxit: Mediæ vero Caroli
M. ætas terminum ponit, dum interea
temporis, scilicet a Monarchia ad hujus
usque Imperium, frequentes barbararum
gentium irruptiones regna & urbes sub-
verterunt, confusoque idiomate nova vel-
ut rerum facies orbi fuit inducta. Re-
cens denique seu Nova complectitur,
quæ nos vivimus tempora. Quoniam
vero id, quod Philosophi vocant obje-
ctum scientiæ, Geographiæ aliud non est,
quam globus e terra & aquis composi-
tus, ad matheseeos, naturæ ac politicæ
leges rite conformatus, operæ pretium
erit, hujus peripheriam, superficiem ac
soliditatem paucis exponere, quamvis
negotium hoc Geographis magno per
multa secula labore, vocata etiam in sub-
sidium Geometria, constiterit. Hanc au-
tem illi viam iniverunt. Dividere primo
circulum, qui orbem terræ universum am-
bit, in gradus 360. quumque constanti

navigantium experimento in mari, & Mathematicorum complurium observationibus in terra compertum fuerit, quod iis, qui sub Æquatore 15. gradibus a se vicissim distarent, una hora citius adparereat lunæ eclipsi, si versus Orientem: una hora vero tardius, si occidentem versus remoti sint, concordi suffragio conclusum fuit, oportere ut, quum 24. horæ diei naturalis gradus trecentos & sexaginta compleant, horæ uni gradus 15. & uni gradui totidem milliaria respondeant. Adhibito postmodum calculo ad leges Arithmeticae instructo, multiplicatisque 360. per 15. totius globi circumferentiam invenerunt, 5400. milliaria Germanica confidentem. Porro quum Geometræ advertissent, proportionem peripheriæ quolibet in circulo ad ejus diametrum comparatae ferme triplam esse, qualis est 22. ad 7. invenerunt Geographi diametrum seu distanciam lineæ a nobis ad Antipodes recta ductæ complecti milliaria fere 1720. Reperita sic diametro, multiplicatisque 5400. per 1720. sponte prodiit superficies convexa 9. 288. 000. & ex hac soliditas globi hujus magni 2. 656. 368. 000. milliarium germanicorum quadratorum. Atque hac ex re Geographi curiosa quædam

dam eruditaque problemata Arithmeticas auxilio solvenda deducere solent.

Post inventam hac ratione peripheriam terræ, superficiem illius ac soliditatem, progressi sunt Geographi ad exhibendum oculis terrestrem globum cum debita proportione, situ ac dispositione partium præcipuarum seu terræ seu maris. Hoc ut perficerent negotium, globumque terraqueum in mappis suis delineatum conspectui sisterent, iisdem illum circulis qua majoribus qua minoribus conclusum volvere, quibus ipsum cœlum jam olim distinxerunt Astronomi, suadente tum utilitate tum necessitate. Hic etenim, ut veros siderum, præcipue solis ac lunæ, motus motuumque terminos, axes, & quæ sunt alia plura ad cœlestem harmoniam spectantia, fictis exponerent signis, sphæram ut vocant Armillarem excogitabant, in qua circulum mobilium atque immobilium ope in diversas regiones totum mundum cœlestem velut pro imperio distribuerunt. Duces istos secuti Geographi globum terrestrem iisdem complexi sunt signis ac circulis, ut terra ad cœli leges composta, eo promptius & accuratius totam ejusdem œconomiam ob oculos ponerent,

hoc

hoc tamen discrimine, quod in Armillari sphæra circuli concavam cœli, in globo autem convexam terræ aream occupare ac percurrere sint jussi, eo fine, ut appareat, qua ratione superficies terræ convexa, regiones & loca, in quæ terram Geographi, respondeant superficie concavæ, regionibus & locis, in quæ cœlum Astronomi diviserunt. Heic considerandi veniunt primo *duo Poli*, *Arcticus* & *Antarcticus* seu puncta illa, in quibus axis terræ utrinque per centrum ad superficiem tendens terminatur, & circa quæ tota & spæræ & globi machina in gyrum volvitur. Polorum vero usus est, ut machina utraque, de qua dixi, ad eum quem natura sua cœlum terraque obtinet, situm componatur; quamvis diversam circa polorum usum viam teneant Geographi & Astronomi. Nam illi mappas suas ut plurimum dirigunt ad polum Arcticum: hi autem dimensiones suas ad Antarcticum instituunt. Unde Brie-
tius :

*Ad Boream terræ, sed cœli Mensor
ad Austrum,*

*Augur ad exortum movet, occasum-
que Poeta.*

Composita tamen ad polum tum sphæra, tum globo uterque facili labore cognoscit mundi plagas & loca ventorum, quæ in horizonte artificioso notantur. Secundo *Circulus Meridianus*, qui per hos ipsos polos & puncta, *Zenith* ac *Nadir* appellata, ducitur, in quatuor partes æquales, quarum quævis 90. gradus continet, divisus. Arbiter hic est inter ortivum & occiduum solem, qui ad hunc cursu suo delapsus medium diem noctemque distinguit: in globo autem inter eas, quæ Occidentem versus, & illas, quæ ad orientem sitæ sunt, plagas. Unus eminet Meridianus in sphæra & globo, quem *rationalē* vocant. Hic licet immobilis, vicem omnium meridianorum sustinet circumacta sphæra vel globo, in quo tamen Geographi alios quoque, quos *sensibiles* dicunt, per decem graduum in Æquatore numerandorum spatia a se dissitos describunt, quorum numerus ad triginta sex ascendit. Insignis est autem usus Meridiani, Astronomis quidem ad cognoscendas astrorum declinationes, atque altitudinem Poli & Æquatoris investigandam: Geographis ad inveniendam in ejus arcu locorum latitudinem: Chronologis ad initium diei per 24. horas absolvendi tum Astronomici tum Ecclesiastici deprehenduntur.

dendum. Quis tamen Meridianorum principes sit, ac primus, adhuc sub judice lis est. Ptolomæus olim elegit vicinum insulis fortunatis, haud procul ab Africa sitis; quidam in insula S. Nicolai juxta viride promontorium; alii cum Hondio in insula S. Jacobi, rursus alii in Canariis: Galli in insula Ferri, Hollandi in Teneriffa, Ricciolus cum multis in insula Palma, nonnulli cum Mercatore in insulis Flandricis sive Azoribus primum statuerunt Meridianum: neandum tamen rerum harum periti in certum quemdam ex memoratis consensere. Hinc non modica in mappas Geographicas dissensio irrepuit. Tertio, *Horizon* est circulus ille, qui æquali a Zenith seu puncto verticis spatio undique remotus in sphæra concavam, in globo terræ convexam superficiem in duas partes secat, ita ut una pars pateat oculis nostris, lateat altera. Unus duntaxat, isque stabilis horizon in utraque machina exhibetur, diciturque *rationalis*, quoniam sola ratione percipitur, non sensu, dum interea horizon *sensibilis* seu circulus in plano (quo usque oculus noster circumvagari potest, nempe ad quatuor summum millaria) ad singulos passus, quamcunque in plagam te vertas, mutabilis est. Astronomi magno cum

cum proventu eo utuntur ad cognoscendum solis, lunæ, siderumque cæterorum ortum & occasum, &c. Geographi in globo ad situm terræ cum cœlo componendum, ut pateat, quales cœli partes respiciat terræ portio, quam incolimus. Quarto, relicto horizonte *Æquator* standum se præbet. Circulus hic immobilis est, & omnino medius inter polos mundi, quem in duas partes æquales, quacunque ratione spectetur, dividit, quum per centrum mundi transeat. In sphæra fecit puncta Zodiaci, in quibus Aries & Libra notatur: in globo per insulam S. Thomæ Africæ adjacentem, & terram Firmam in America ductus, medianam terrestris globi superficiem æquali a polis distantia arcto velut amplexu strinxit. Astronomis in sphæra distinguit signa Zodiaci Borealia quæ supra, ab Australibus, quæ infra horizontem sunt: Geographis vero hemisphærium, quod versus Septentrionem ab eo, quod versus Meridiem se extendit, tum antiquo tum novo in orbe circuitu suo discriminat. Porro circulus iste reliquos interfere præcipuus *Æquatoris* nomen sortitur ab æqua portione, quam diem inter & noctem statuit, quando ad illum Astrorum princeps sol defertur, id quod binæ

vice singulis annis contingit, nempe Veris & Autumni tempore 21. Martii, & circa 23. Septembris. Nautæ hunc Äquatorem antonomastice *Lineam* adpellant. Arbiter quoque temporis est, quod in ejusdem gradibus 360. ad calculum vocatur, suique usum insignem præbet Geographis, dum eis longitudinem locorum ostendit per eosdem gradus a primo Meridiano recedentes. Quinto, circulum hunc alias sequitur, quem *Zodiacum* nuncupant Græci a Ξώδιον seu animal: Latini Signiferum a signis cœlestibus, seu stellis compluribus totidem animalium figuram referentibus, per quarum tractum & ordinem sol orientem versus iter suum instituit. In sphæra balthei aut zonæ instar per cœli, in globo per terræ plaga sese explicat, medioque sinu lineam se ambientem ostendit, quæ *Ecliptica* dicitur ab Eclipsibus, quas sol a luna ibidem transeunte, lunaque ab umbra terræ illuc projecta patitur. Linea hæc est via solis, per quam motu proprio ab occasu in ortum promovetur, & profici scendo in dies per integrum fere gradum hujus circuli grande iter istud uno tandem anno absolvit. Obliquum vero tam in sphæra quam in globo *Zodiacus* situm obtinet, quem primus detexisse dicitur

Ana-

Anaximander , dum solem ab Æquatore nunc ad Septentrionalem , nunc ad Australiem polum declinare singulis annis observavit. Alii sunt , qui hujus inventi gloriam tribuunt Pythagoræ , alii vero Oenipodi e Chio insula oriundo. E signis autem cœlestibus Arietem & Arcitenentem primus distinxisse ac in Zodiaco invexisse fertur Cleostratus , quem secuti Astronomi reliquos decem signorum comites prioribus duobus adjunxerent. Porro Zodiaci ope Geographus quoque in globo solis ortum & occasum quovis anni tempore deprehendit , dum notato , in quo Phœbus habitat illa die , signo , signique gradu , eundem circulo in Horizonte descripto applicat , qui mensis diesque continet signis & gradibus illis respondentes. Eadem industria inæqualia dierum noctiumque incrementa vel defectiones discit , unde Climatum etiam diversitas nascitur , facili negotio investiganda. Demum sexto *Zonæ* seu terrarum tractus illi quinque considerandi veniunt , in quas Geographi globum terrestrem distinguunt , quæque soli per Zodiaci eclipticam ultro citroque commenti , & ad incolas teræ vario vel accessu vel recessu invisenti ortum suum

debent, scilicet *Torrida*, duæ *Temperatæ*, duæque *Frigidæ*.

Atque hæc est artificiosa illa Analogia, terræque cum cœlo affinitas maxima, quam Astronomi in sphæra, & Geographi in globo exhibent, ipsumque cœlum magno sane ingenio in terram veluti transferunt. Sphæram miro Empedoclis cujusdam artificio fuisse primum constructam fama refert: globi autem inventorem plures sunt, qui celebrant Ptolomæum Pelusii natum (cujus ætas incidit in seculum secundum sub Antonino Pio) Alexandrinæ famosissimæ Bibliothecæ Præfectum. Maximam & numeris omnibus absolutam globi terrestris machinam Lutetia Parisiorum ostentat: cuius diameter 12. pedes Parisienses continet. Parens prolis tam eximiæ Vincen-tius Coronellus e Familia sacra Minorum: Pulcherrimam, & quæ alias omnes artificio superaret, Gottorpia jactabat, modo in Aulam Imperatricis Moscoviae Petersburgum an. 1715. translatam: Antiquissima gloriatur Hafnia Metropolis Daniæ, cuius artifex Tycho Brache, celeberrimum inter Astronomos nomen.

§. III.

Mappæ Geographicæ.

XIX.

A globis ad Mappas progressa est ars Geographica, qua in re omnium primo exponenda occurrit diversitas divisionum, quibus tum antiqui tum novi Geographiae cultores ad globum terrestrem in plano exhibendum utuntur. Antiquissima est traditio, & seculorum omnium calculo probata, a Noemo Patriarcha, qui extinctum diluvio genus humanum restauravit, atque ita novo velut jure ac pacto fœdere a Deo in totius orbis terrarum possessionem immisus fuit, bunc inter filios suos ea ratione divisum fuisse, ut Sem natu maximus cum posteris suis omnem fere tractum illum, quem Asiam vocamus; Cham cum suis Africam & Asiae partem, nempe Syriam & Arabiam; Japhet denique Europam & Asiam minorem seu Natoliām obtinuerint. Qui vero his & Nepotibus eorum successerunt, Terræ totius massam quasi hæreditatis jure ad se transmissam in duas grandes portiones distribuerunt, in quarum præcipua collocabant diversi nomi-

minis ac indolis populos, in quos se Noemetica posteritas ramorum instar diffundebat, ita ut Asia maxima sui parte Scythes, Indos ac Persas: Africa Ægyptios, Æthiopes ac Pœnos: reliquos Europa complectetur. In altera parte magna, sed priori minore, statuerunt insulam Taprobane (quam hodie Ceulatum vocant) atque Antipodes seu Antichtones, originem quoque Nili fluminis, ex insulis Lunæ, ut credebant, progeniti. Prodiere mox alii, qui orbem in duo quasi segmenta majora, quorum unum Meridiem, alterum Septentrionem respiceret, discriminabant: huic Europam & Africam, illi Asiam adjudicarunt. Non nulli e quatuor partibus composuerunt, Asia scilicet, Africa, Europa & Ægypto, cui quartæ parti rursus alii Græciam substituerunt. Sed quam a vero aberrant hæ Veterum ideæ, abunde hodierna demonstrat Geographia. Primus, & antiquitate reliquos, quorum mentio fit in libris historicis, Geographos prægressus fuit Philosophus Anaximander, Milesius, qui mappam geographicam, vel potius ejus umbram proposuit. Confectæ autem fuerunt rudibus illis temporibus ejusmodi mappæ ex arborum radibus, & hunc in finem præparatis anima-

lium

lium coriis, respondentे operis materia
ævi illius ingenio necdum perpolito. Ve-
tustatis tamen monumenta isthæc curio-
sæ posteritati subduxit incendium urbis
Miletī, quæ patria fuit Anaximandri.
Multo post tempore orbem terrestrem
exhibuit in uno duntaxat hemisphærio
Pomponius Mela, eumque divisit in duas
partes continentēs magni maris inter-
vallo separatas. Aliam iniit viam Posi-
donius, Mathematicis & Philosophicis
disciplinis probe insignitus. Hic quam-
vis eum non lateret rotunda terræ figu-
ra, ovo similem tamen elegit, & instar
rami spectandam præbuit eo consilio,
quod longitudo ac latitudo partium tunc
temporis cognitarum suggessit. Denique
Claudius Ptolomæus, qui principem in-
ter ethnicos Geographos illo potissimum
nomine locum obtinet, quod vocata in
subsidium Mathesi rationem mundi de-
scribendi rectiorem iniverit, ac majore
reliquis Antecessoribus ingenio & felici-
tate in Geographiæ stadio versatus or-
bem terrestrem intra quatuor angulos ac
duas rectas, totidemque curvas conclu-
sum lineas effinxerit. Atque hæc orbis
partes, regna & provincias in mappis
delineandi methodus Ptolomaica multis
post eum seculis viguit,

Postquam vero iter maritimum inventa pyxide, quam vocant, Nautica viarum indice magnete instructa liberius atque felicius tentari coeptum est, accuratiores mappæ geographicæ in orbem prodierunt, quibus Ptolomaicæ fuerunt emendatae; qualem primus Cathaya (Chinam aliqui hoc olim nomine designatam suisse dicunt) anno 1620. secum attulisse Marcus Venetus, eaque adhuc Venetiis in templo S. Michaelis de Merou diligenter adservari fertur, figuram hexagonam rectis curvisque lineis distinctam præferens. Detecta vero America Jacobus Castaldus Reipublicæ Venetæ Cosmographus planisphærium ad ovi formam constructum orbi cum plausu exhibuit, quamvis Lusitani Michaelem Lopez primum omnes quatuor mundi partes in plana & quadrata figura complexum esse contendant. Hos duces præclaros secuti aliam nonnihil viam inire Ludovicus de Mayerne Tourquet, Lutetiis Parisiorum oriundus, Geographiæ Professor, qui an. 1648. in planisphærio rotundo easdem partes compo- suit, & Ludovicus Bertius Ludovici XII. Galliarum Regis Cosmographus, qui glo- bum terrestrem duobus in hemispæriis delineavit, ita ut punctum, quod Arctico polo

polo respondet, pro Septentrionalis: punctum vero, quod Antarcticō, pro Meridionalis hemisphærii centro fixerit. Præstantior reliquis omnibus hucusque excoigitatis modus exhibendi globum terrestrem duobus in hemisphæriis est, quo hodie utimur, quique in uno Europam, Asiam & Africam, in altero Americam secundum longitudinem ac latitudinem una cum circumfuso Oceano, & ambientibus Æquatoris & Meridiani circulis se mutuo contingentibus recta oculis nostris spectandas præbet. Primæ hujus inventionis laus debetur Azraeli, patria Toletano. Hic præstans Mathematicus, licet jam circa annum 1069. floruerit, ubi tenebris ignorantiae altum adhuc sepulta fuit America, tamen Astronomiæ, qua excelluit, tacito quodam ductu, accidente acri ratiocinatione, omnino sibi persuasum habuit, oportere, ut sol nobis occiduus aliis infra positis hominibus oriatur, indeque planisphaeria ea ratione divisit, ut oculus aspicientis sistatur ibi, ubi mutuo velut amplexu sese in Æquatore stringunt: atque hæc methodus Azraelis e diurna oblivione denuo protracta in lucem præ reliquis palam tulit. Vocantur autem Mapæ Geographicæ, quæ terræ descrip-

ptionem in plano exhibent, & vastissimum hunc globum vel partes illius in angustos unius alteriusve folii limites non minore artificio, quam compendio transferunt. Hæ ut rite confiantur, ad tria præ cæteris rei momenta atten-tum esse Geographum oportet: primum, ut omnia loca ad præcipuos in illis circulos, nempe ad Æquatorem, Parallelos & Meridianos ita componat, ut talem situm & distantiam acquirant, qualem in ipso terrestri globo ad ejus circulos ob-tinent: deinde, ut in determinanda re-gionum singularum magnitudine ea in mappis, quæ in tellure proportio obser-vetur: Demum ut loca qualibet a se invicem ita distent, quantum in eadem tellure. Tria hæc ut ex ipso fonte petan-tur, Tabulæ consuli debent, passim in libris obviæ, in quibus locis singulis longitudo & latitudo observationum frequentium & accuratarum ope determinata adsignatur. Quemadmodum vero terræ descriptio alia est universim totius orbis imaginem referens, quæque propria sibi voce Geo-graphia nuncupatur: alia particulatim in-tegram orbis partem, ut Europam, &c. aut regionem latius patentem, ut Hispaniam, Germaniam, &c. spectandam præbens, quæ Chorographia dicitur: alia singulatim exiguum

exiguam quandam regionis vel territorii portionem oculis subjiciens, quæ vocatur *Topographia*, ita etiam *Mapparum* aliæ sunt *Generales*, aliæ peculiares, singulares demum aliæ.

Præter *Geographicas* etiam monstrat *Geographia Hydrographicæ* mappas, quas Henricus Joannis Lutitaniæ Regis filius primus invenit, quarumque usus quam navigantibus est necessarius, tam eas delineandi modus necdum est ad perfectio-
nis apicem perductus: notitia tamen ea-
rum *Geographiæ* quoque cultoribus per-
quam utilis est. Nam uti nequit exhiberi superficies globi terrestris sine mari,
quo alluitur, ita nec mare sine omni
terra & litore, quo continetur & coar-
ctatur. Porro sicut *Geographia* sylvas,
montes, oppida, urbes, provincias & re-
gna describit, & suis singula notis ex-
primit, ita *Hydrographia* costas seu oras
maritimæ, litora, portus, sinus, freta,
& ostia fluminum, maria, & insulas,
quin & brevia ac syrtes in Oceano oc-
currentes, certis signis manifesta reddit.
Denique quum globus, quem *Geographi-
cæ* considerationis scopum esse diximus,
partim e terra partim ex aqua composi-
tus sit, utriusque ratio merito habenda
est

est a Geographo. Jam vero ad mappas
has rite ordinandas pyxidis Nauticæ (vul-
go *Compass*) notitia oppido necessaria
est. Veteres qui mari se commiserunt,
duabus solummodo viis mundi plagas in-
vestigabant, uti nuper monui. Prima in
tenuerunt, qui noctu stellarum observa-
tioni vacabant, quæ circa polos gyran-
tur, præsertim Helices & Cynoturæ,
quarum hæc in minoris, illa in majoris
Ursæ cauda sedem elegit: (primus au-
tem qui Cynosuram detexit, fuisse fer-
tur Thales Milesius, qui Phœnices eo-
dem sidere tanquam signifero & duce in
maritimis itineribus uti docuit, quemad-
modum ex Callimacho demonstrat Laer-
tius) Altera incedebant via, qui lito-
rum, promontiorum, montium, insu-
larum, aliorumque, quæ oculis occurre-
bant, signorum memori mente recondi-
torum cognitioni operam dabant. Quip-
pe dum eos vel propria vel aliena do-
cuit experientia, quas plagas mundi hæc
signa respicerent, iis vel a longe conspe-
ctis facile intelligebant, in qua mundi
plaga, dum per Oceanum volitarent,
ipſi versarentur. Verum quoniam a con-
tinente longius abreptis nec litora am-
plius, nec obducto nubibus & cœca tem-
pestate cœlo sol aut stellæ conspiciendas

se præbuere, sine lege ac periculis plenæ fuerunt eorum navigationes. At posteri inventa pyxide Nautica, lingulaque magnetica seu Indice Marino (de quibus dixi §. XVI.) peregrinis se ac nunquam hactenus fulcatis maribus committere, & totum qua late patet Oceanum lustrare ausi sunt. Præterea ad distinguendos mundi cardines tum principes tum intermedios, qui latera stipant, *Rosam ventorum* construxerunt, e qua plagas simul & diversos spirantes ex illis ventos cognoscere licet. Priscis duplex solum genus ventorum erat initio notum, Borealis nempe ac Australis; e reliquis eos, qui his plagiis viciniores adstabant, Meridionales ac Septentrionales vocitabant. Progressu temporis quatuor Cardinales venti numerabantur; his postea quatuor alii fuerunt accensiti ea ex parte, qua sol, dum quovis anno ab Æquatore nunc in Austrum nunc in Boream declinat, ortum vel occasum obtinet. Aristotelis ævo duodecim, Vitruvii vero viginti quatuor detecti sunt, quibus ultimis his temporibus plures accesserunt, ita ut triginta duorum numerum confiant, qui omnes in *Rosam ventorum* superius memoratam ordine suo digeruntur. Cætera tum quæ ad globi ter-

restris varias observationes ac demonstratio-
nes sane mirabiles, tum quæ ad map-
pas utriusque generis delineandi praxin,
& usum pertinent, partim theoremati-
ac problematis jucundissimis, partim re-
gulis certissimis profundior illustrare so-
let Geographia,

§. IV.

Prima Periodus orbis habitati.

XX.

Præmisso velut adparatu geographico
ad rem ipsam seu orbis terrarum de-
scriptionem via patet. Trita est, qua-
plerique Geographi utuntur, dum qua-
tuor orbis partes enumerant; in his par-
tim regna, provincias, insulas distin-
guunt; in regnis, provinciis & insulis
ditiones, urbes & oppida palam faciunt:
partim Oceanos recensent, maria & fre-
ta, quæ denuo in flumina, sinus & lacus
distribuunt. Dudum & libris & mappis
hujusmodi repletus est orbis literatus,
plus quam globus terrestris aquis & ter-
ris. Trita inquam est via hæc. Alia fe-
cretior, & tum docentium ordinatæ me-
thodo expeditior, tum discentium captui
faciliior est, quæ a primordiis suis rem
om-

omnem successione continua & in tres periodos *Veteris*, *Mediae*, ac *Novae* Geographiae distincta deducere satagit. Hac enim ratione fit, ut a primo, unde genus humanum egressum est loco, pergen- do ad vicinas, tum remotiores, demum ad universas orbis terrarum plagas & par- tes, quas diversi diversis seculis occupa- runt, ac velut vestigia premendo, totius Geographici orbis notitiam compendia- riam non minore cum utilitate quam de- lectione consequamur: delectatione qui- dem, dum succendentium sibi continuo po- pulorum, provinciarum, regnorumque se- ries uno obtutu conspicitur; utilitate ve- ro, dum sine hac veteris præcipue ac me- dii ævi geographicæ notitia præstantissimi antiquiores Historici nequeant rite intel- ligi non sine magno eruditionis detrimen- to, id quod vel solius Julii Cæsaris com- mentarios legenti palam est.

Primus itaque locus Protoparentibus nostris ad habitandum ab ipso mundi Con- ditore adsignatus, & veluti elocatus erat Terra Eden seu Paradisus, deliciarum omni genere, ac flumine in quatuor ca- pita, scilicet Phison, Sehon, Tigrim, & Euphratem se dividente conspicuus. (h)

(h) *Genes. 2.*

Ubi-

Ubinam vero sit ille hortus voluptatis, gravissima est inter S. Scripturæ Interpretes disceptatio. Rejectis aliis duo sunt verisimiliora systemata. Unum doctissimi Huetii Abricensium Episcopi, (i) ac eruditissimi Pererii S. J. (k) qui paradisum collocant eo in loco, ubi Euphrates & Tygris in unum flumen coeunt, Mesopotamiam inter & Chaldæam non procul a Sinu Persico, in quem Tigris facto aquarum divortio sub nomine Phison & Gehon se effundit. Alterum est aliorum cum Augustino Calmet, Viro editis in S. Scripturam commentariis admodum claro, qui paradisi locum adsignant, ubi quatuor memoratorum fluminum fontes seu capita sedem suam fixerunt, scilicet majore in Armenia, quam hodie Turcomanniam dicunt, in campo montibus Ararat vicino. Illud certius esse videtur, Paradisum si de loco nobis sit sermo, adhuc exstare; si vero de forma & ornatu adventitio, priusque innocentiae parato, amplius haud esse superstitem, sed vel diluvio, vel altiore vi tam noxii sceleris in eo patrati vindice funditus eversum fuisse. Jam vero si locum inquiramus, quo Protoparentes

(i) *Dissertat. de paradis. terrest. situ.*

(k) *In Libr. Genes.*

rentes nostri paradiso ejecti habitarint, rursum altum silente S. Scriptura res est valde ambigua. Placet eorum opinio, qui Adamum cum conjuge sua eum, qui primam formando corpori materiam subministravit, agrum a Paradiso non adeo remotum incoluisse autemant, ubi terra ob congenitum sibi rubrum colorem Adama seu Damascena vocatur. Posteros autem Adami multiplicata stirpe varias vicinas occupasse regiones, ac urbes aedificasse, ut commodius ac securius degere liceret, non obscure prodit Moses facta terrarum Eden, Chus, Hevilath, Assur, & Nod mentione. Ex urbibus omnium prima fuit Henoch, a Caino exstructa, nomenque suum ab ejusdem filio sortita, quæ fors etiamnum existit alio insignita nomine, scilicet Anuchta, cuius Ptolomæus (1) in regione Susiana collocatæ meminit. Subinde cataclysmo, qui pene totum genus humanum sustulit, cessante Noemus cum reliquis e montibus Ararat in subjectam majorem Armenia descendit, ad Tigridis & Eu-phratis oras, donec post aliquot annos in terram Senaar complures familiæ migrarint, regionem totius Orientis facile uber-

(1) *Lib. 6. Cap. 3. & Tabul. 5. Asia.*

uberrimam. Verum & heic angustias passi in varias orbis partes sese dividendi consilium iniere, quod linguarum perturbatio ad turrim Babel præcipitavit. Hanc divisionem Cedrenus ac Eusebius a Noe ultimis tabulis sanctam esse perhibent, ita ut Sem Asia versus Orientem, Africa universa Cham, Europa vero cum insulis ac Boreali Asiae parte Japheto obtigerit. Moses vix non eadem ratione divisionem hanc describit: Quippe portio, quæ Sem obvenit, Asia fuit ab Euphrate orientem versus ad usque Oceanum Indicum, posteris ejus Syriæ quoque ac Arabiæ partem cis Euphratrem versus Occidentem occupantibus. Cham integrum, ut dixi, obtinuit Africam, partem etiam reliquam Syriæ Arabiaque, adjecto terræ tractu Euphratrem inter & Tigrim sito, ubi Nemrod regnavit. Japhet demum, ejusque filiis & posteris Europa omnis cessit, insulis mediterranei maris qua Asiaticis qua Europæis adnumeratis: Asia quoque minor universa seu pars occidentalis, quæ cis Euphratrem a Tauro monte divisa excurrit. Hæc tamen non ita intelligi velim, ac si trium horum Noe filiorum posteri duntaxat intra memoratae divisionis terminos quærendi forent. Constat enim, plures Japhet

phet & Cham filios Asiam incoluisse, ac in varias colonias divisos, prout familiarum incrementa postulabant, post maximum temporis intervallum sensim in Africam & Europam se diffudisse. His veluti ductis lineamentis a Prima Periodo, seu Veteri Geographia initium est ducendum, quæ a Noe posteris ferme ad usque Romanæ Monarchiæ exordium duravit.

XXI.

Asiam Sem ejusque filii ac posteri, ut audivimus, post fata Noemi occuparunt. Primus filiorum est *Elam*, qui adjacentes Tigri fluvio, qua ortum respicit, oras excoluit, ac Elimain metropoli ad flumen Euleum constituit. Ab hoc Elamitæ seu Persæ descenderunt, unus idemque populus, quamvis regiones, quas incoluerunt, Parthia scilicet & Persia, sint diversæ. Alter fuit *Affur*, qui regionem Senaar Babyloniæ vicinam habitandam accepit, e qua tamen a Nemo expulsus circa fontes Tigris progressus in provincia Assyriæ sedem fixit, ubi præter alias urbes minores Niniven celeberrimam condidisse fertur, unde Assyrii cum finitimis populis regionum Elam, Chaldaæ, & Ellazar, quæ regibus

parebant ; tunc enim temporis angusti
 adhuc limites erant Imperii Assyriorum.
 Tertius *Arpbaxad* ; quo terræ tractu po-
 titus fuerit, non satis constat, aliquibus
 cum Josepho Judæo Chaldæam, aliis ve-
 re partem Assyriæ insedisse illum conten-
 dentibus. Chaldæa autem regio est Asiae,
 ubi Tigris & Euphrates confluunt, sita,
 cuius caput est famosa urbs Babylon.
 Quartus erat *Lud*, a quo veterum re-
 centiorumque Scriptorum plerorumque
 testimonio Lydia Asiae minoris provincia
 nomen suum traxit. Est autem Asia mi-
 nor, quam hodie Natoliā vocant, gran-
 dis peninsula, quam fluvii reliqui cele-
 briores fœcundant Euphrates, Cydnus &
 Mæander. Quintus denique inter Natos
 Sem fuit *Aram*, pater Amaræorum sive
 populorum Syriæ. Tenuerunt vero Ama-
 ræi seu Syri Mesopotamiam, Armeniæ
 partem, & Syriam proprie dictam. Por-
 ro ex Amaræis genus suum traxisse He-
 bræos constat, utpote oriundos e Mesop-
 otamia, quæ hominum ante ac post di-
 luvium sedes fuit, & quidem apprime
 celebris a viris æque ac fœminis in S.
 Scriptura notissimis : Phaleg, Heber, Tha-
 re, Abraham, Nachor, Sara, Rebecca,
 Rachel, Lia, & filiis Jacob.

XXII.

Africam, & *Syriæ Arabiæque* partem inter Noe filios, suosque fratres natu minor *Cham* velut portionem hæreditatis paternæ naclus est. Hic filios genuit quatuor: *Chus*, *Mesraim*, *Phut*, & *Canaan*, quorum prioribus tribus Africa, postremo Syria obtigit. *Chus* natu maximus Æthiopiam obtinuit vetustissimum & maximum Africæ regnum, cuius pars magna Abyssinum Imperium, priscis pa- rum notum. Concluditur Æthiopia, qua Septentrionem spectat, Lybia & Ægypto, qua orientem sinu Arabico seu mari rubro, meridiem versus mari Æthiopicō, versus occidentem Lybia interiore. E montibus eminent præ reliquis Lunæ montes, e fluminibus vero Nilus. Porro *Chus* filii cum posteris suis in Arabiām Asiæ partem non sfernendam, tum Desertam, tum Felicem, tum Petræam se diffuderunt. Alter filiorum *Cham* erat *Mesraim*, qui per totam Ægyptum propaginem suam extendit. Hæc publicum orbis horreum dicta est ob frugum abundantiam, & in superiorem seu Thebaidem, & inferiorem seu Deltam dividiatur, in qua posteriore provincia *Gesen* seu *Jessen* sita fuit, quam Patriarcha

Joseph Parenti Jacobo & fratribus annuente Pharaone stabilem sedem adsignavit. Tertius *Pbut* dictus; cui Mauritaniae Libiæque populi originem suam debent. Quartus demum *Chanaan*, qui nomen dedit regioni sitæ in angulo Asiae cis mare rubrum. Hic uti filios plurimos, ita variarum gentium Conditores progenuit, Sidonem natu maximum, Hethæum, Jebusæum, Amorhæum, Hevæum, Samaræum, &c. ipsa vero Chanaan regio Septentrionem versus Syriæ ac Phœniciae jungitur, ad orientem respicit Arabiam Petræam cuin parte Syriae, ad occidentem terminatur mari mediterraneo, versus meridiem adjacet Ægypto. Hæc Terra illa *promissa*, & populi electi sedes, cuius metropolis Jerusalem, a Mysteriorum frequentia, quibus cœlitus illustrata fuit, dicta Civitas Sancta.

XXIII.

Europa omnis, ut dictum est, *Japeto* una cum Asia minore ac mediterraneis insulis cessit, quæ in S. Scriptura *insulæ nationum* seu *gentium* adpellantur, comprehenduntque regiones omnes, quas mare a continentि Palæstinæ distinguit, quæque ab Hebræis nonnisi maritimo itinere adiri poterant, ut Hispania,

nia, Italia, Græcia, &c. Reliquit proles septem fœcundus præ reliquis fratribus parens, nempe Gomer, Magog, Madai, Javan, Tubal, Mosoch, & Thyras. *Gomer* protoparentem sibi vendicant Galatæ, Turcæ, Phrygii, Galli, Cimbri & Alemanni seu Germani. *Magog* vulgo pater Scytharum & Tartarorum creditur, quorum nomine plures populi censemabantur, uti Gethæ, Massagetae, Gothi aliique. *Madai* nomen suum & genus Mediæ vel Macedoniae intulisse pas-sim tradunt Scriptores. *Javan* est, a quo ejusque filiis originem suam traxere Jonii, tum illi, qui Græciam, tum ii, qui alias insulas & Asiam minorem tenuere, quorum postremis propria est Jonum adpellatio: non minus Italiam a posteris Javan primum habitatam fuisse fama est. *Tubal* cum suis Hispaniam, olim Iberiam, occupavit, quæ nomen Hispaniæ debet aut Regi cuidam, quem dixerunt Hispanum, aut urbi præcipua His-pali: Iberiæ vero cuidam Afriæ provin-ciæ, cuius coloniæ in Hispaniam se pro-pagarunt, vel Regi Ibero. Terminos habet ab ortu ac meridie Mediterraneum mare, ab occasu Oceanum Atlanticum, a Septentrione Cantabricum, & juga Py-renæa, quibus a Gallia sejungitur. *Mo-*
H 5 *socb*

socb Moschorum Auctor passim audit, cuius populi sedes erat Moscovia, ingens olim Sarmatiæ veteris pars. Finitur a Septentrione mari concreto, ab ortu iisdem quibus Europa terminis, hoc est, Obio & Tanai fluminibus ; a meridie mari nigro seu ponto Euxino & Caspio, ab occasu Borysthene ac Narva fluviis. Denique *Thiras*, Thracum, quin & multorum opinione Turcarum Pater. Thracia facta est fines a Septentrione Æmum montem, quo a Mœsis Sarmatiæ populis distinguitur, ab oriente Pontum & Propontidem, a Meridie Ægæum mare, ab Occidente Strimona amnem : Turcæ vero Sarmatiæ seu Tartariæ Asiaticæ populi inter Mæotin paludem & Caspium mare ad Septentrionale Caucaſi montis latuſ a Geographis collocantur, qui postea per portas ut vocant Caucaseas in regiones vicinas irrumptentes vastissimum condiderunt Imperium.

Atque hi sunt, quos hucusqne recensiui, Noe filii cum posteritate sua, quam S. Scriptura conceptis verbis prodit : haec sunt regiones, quas facta gentium divisione per tres orbis partes Asiam, Africam & Europam iidem cum familiis suis occuparunt ; quæ quum novis semper huma-

humani generis incrementis auctæ fuerint, novæ rursum per vicinas terras coloniæ ducitæ, novi populi exorti, novæ provinciæ, nova regna sunt constituta, quæ mox altera periodus palam faciet.

§. V.

Secunda Periodus orbis habitati.

XXIV.

E u r o p a.

Hæc periodus a Monarchiæ Romanæ exordio initium dicit, & ad Caroli M. ætatem se extendit. Europa heic primam sedem occupat, utpote quæ Asia paganorum, ipsiusque electi a Deo populi flagitiis in ruinam prona, & Africa idololatrijs ac fœdis superstitionibus contaminata, barbarieque oppressa, sensim caput supra reliquas extulit, rebusque gestis inclinavit; monarchia a Græcis, quorum potentia corruptis & dissolutis moribus continuo in præceps ire cœpit, ad Romanos migrante. Termini, quibus Europa universa continetur, ab Oriente qua Asiae jungitur, sunt mare Ægeum, pontus Euxinus, Tanais & Obius fluvii: a Meridie mare internum seu medito-

diteraneum , fretum Herculeum , & ma-
re Atlanticum : ab Occidente rursum
Atlanticus Oceanus : a Septentrione de-
mum mare Hyperboreum seu Septentrio-
nale. Longitudo illius summa inter Hi-
spaniae promontorium sacrum , nunc Ca-
bo de S. Vincente , ad Obii fluminis
ostium usque excurrit spatio milliarium
Germanicorum 900. Latitudo autem
maxima a Tænaro Peloponensi ad Ser-
tifiinniæ **promontorium Rutubas** , hodie
Noortkyn dictum , sese porrigit ac mil-
liaria 500. complectitur. Nomen sortita
esse traditur ab Europa Agenoris Phœ-
niciæ Regis filia , quam Jupiter Creten-
sium Rex navigio Tauri speciem præ-
ferenti impositam rapuit , secumque in
hanc orbis partem ex Asia transtulit : un-
de Poetis fabula Jovis in Taurum mu-
tati ac Europam rapientis nata est. Jam
vero in secunda quam dixi , periodo di-
visa fuit Europæ terra continens in di-
versas gentes ac regiones , quarum no-
mina etiam nunc clara exstant : Hispa-
niam , Galliam , Germaniam , Vindeli-
tiam , Rhoetiam , Italiam , Noricum , Pan-
noniam , Illyricum , Græciam , Macedo-
niam , Thraciam , Mœsiam , Daciam &
Darmatiam . Oceanus vero magnus in
insulas præcipuas Britanniam , Hyber-
niam ,

diam, Thule; mare internum in Baleares, Siciliam, Sardiniam, Corsicam, Cretam cum aliis minoribus, numerum vix non excedentibus. Singulas jam Europæ regiones ordine suo, eaque qua hoc tempore gaudebant facie, geographicis duntaxat pedibus percurrere juvat.

Hispaniam Romani rerum potiti in duas præcipue amplas partes totam divisere, quas ipsi urbem suam Roman velati centrum & orbis meditullium intuentes Citeriorem & Ulteriorem Hispaniam nuncuparunt. Citerior seu Tarragonensis Gallæciam, Tarraconensem, Carthaginensem provincias, insulas Pitiusas, inter quas Yvica, insulas Baleares, inter quas Majorca & Minorca, complectebatur. Has utrasque populum ingens farrago implevit: Lucenses, Bractarii, Astures, Vaccæi, Carpetani, Arevaci, Cantabri, Varduli, Vascones, Illergetæ, Castellani, Celtiberi, aliique. Ulterior Lusitaniam, Boeticam & Mauritiam Tingitanam in Africa finitima positam comprehendit. Has Celtici, Turduli, Bastuli seu Pœni, Turditani, Vettones incoluere.

Gallia Hispaniæ proxima ab ortu Rheno fluvio, Alpium parte & Varo amne:

amne: ab Austro mari Interno, jugisque Pyrenæis: ab occasu Oceano Gallico: a Borea Britannico terminabatur. Omne autem hoc terrarum spatium bifariam fuit a Romanis divisum. Primum in Galliam Cisalpinam & Transalpinam: tum a triplici populorum genere, eorumque diverso habitu distribuebatur in Togatam, quæ Cisalpina, in Braccatam, quæ Narbonensis, & in Comatam, quæ reliqua Galliarum pars erat. De Cisalpina agetur, ubi de Italia sermo erit. Transalpina, quæ proprie Gallia dicta est, quatuor provincias numerabat: Narbonensem ad mare Mediteraneum: Aquitaniam circa flumen Garumnam: Lugdunensem seu Celticam ad Rhodanum: ac Belgicam a Sequana ad Rhenum usque expansam. Primam incoluere Allobroges, Vocontii, Centrones, Gavares, Ruteni, &c. Alteram Ausci, Santones, Pictones, Lemovici, Arverni & Bituriges, &c. Tertiam Nannetes, Veneti, Armorici, Turones, Andegavi, Senones, Hedui, &c. Postremam Helvetii, Vallenses seu Veragri, Visontini, Suessiones, Rhemienses, Vangiones, Treviri, &c.

Germaniae nomen suum obtigisse memorat Tacitus a Gallis, qui quinque Germanorum populis Eburonibus, Condrusis, Segnis, Cæræsis, & Pæmanis Rhenum transgressis avita sede expulsi, illos a Guerra seu Gerra & Man Germanos dictitabant, hoc est Bellatores. Vetustissimi ejus termini fuerunt ab occasu Rhenus & mare Germanicum: a Septentrione Oceanus Hyperboreus: ab ortu Vistula fluvius & montes Sarmatici: a meridie Danubius. Aptissime dividi potest in quinque populorum classes, Vindilos, Ingævones, Isthævones, Hermiones, & Pecinos, sive Bastarnas, e quibus reliqua Germanorum nationes, & ab his regiones prodiere. Vindilorum seu Vandalorum gens comprehendebat sub se Gothos, Carinos, Rugios, Variños, Thoringos, Longobardos, Burgundiones, Semnones, &c: Ingævorum vero se propagavit in Cæchos seu Saxones, Cimbros, Teutones, Scandios, Sitones, Lappiones, Sueones, &c: Isthævones Rheno proximi diviserunt se in Frisios, Marsios, Sicambros, Marcomannos, Alemannos, &c: E gente Hermionum prodierunt Cherusci, Catti, Suevi, Quadi, &c: quinta gens Bastarnæ olim a Vistulae ripa dextra usque ad Istri ostia late

late diffusa, ipsas quoque ostiorum insulas tenuit, quarum maxima dicebatur Peuce, unde Peucini.

Rhætiam, Vindeliciam & Noricum, tres has regiones, quæ modo Germaniæ adnumerahtur, Veteres extra illam posuere, quum intra Danubium sitæ sint, ad quod flumen tanquam præfixum sibi limitem sistebatur Germania. Vindelicii ex Illyricis, Rhœtii ex Italia ortum suum traxere. Priores terræ tractum incoluerunt, quem Danubius, Oenus, & lacus Brigantinus continent. Eorum populi fuerunt Brenni, Genauni, Licates, Isarcii. Rhœti alpibus & vallibus conclusi censebant sub se Grisones, Vennones, & incolas vallis Tellinæ. Sunt tamen, qui ampliores Rhœtiæ fines ponunt, & in Tulingios etiam seu Curienses, & Rhœtos dispartiunt, quorum urbes Verona, Brixino, Tridentum & Terioli seu Tyrol. Noricum a Fluvio Oeno circa Danubium ad usque montem Cetium Vindobonæ proximum se porigebat: aliud dicebatur Mediterraneum, ubi nunc Carniola, aliud Ripense, pars modo Austricæ, ac Salisburgensis ditionis.

Pannoniam universam fluvius Arabon distinguebat in superiorem seu primam
Con-

Consularem versus occidentem, ubi Croatia, Marchia Vindorum, Carinthia, Styria, &c. & inferiorem sive secundam Consularem, quae ad Orientem vergit, complectiturque Bosniam, Sclavoniam & partem Hungariae. *Illyricum*, græcis Illyris, regio erat fertilitate celebris, sed non minus piratis famosa. Eam diremit Titus Flavius Vespasianus, scilicet in Liburniam versus Pannoniam, & in Dalmatię Macedoniam versus. Populi Liburniae clarissimi Japides & Liburni : Dalmatię vero Trulli, Pirustae, Mazaei, aliisque.

Italia, quam Plinius Europæ portionem optimam adpellat, fines nacta est versus Septentrionem Alpes, versus meridiem mare Inferum seu Siculum, ab ortu mare Superum seu Adriaticum, ab occasu rursum Alpes & Varum amnem. A Romanis in Galliam Cisalpinam seu Togatam, & in proprie dictam Italiam divisa fuit. Cisalpina complectebatur terras cis & trans Padanas. Nominatores reliquis incolae Cispadani fuerunt Ligures, Carni, Histri, Taurini, Salassi, Senones, Boy, Lingones, &c. Transpadani vero Insubres, Veneti, Istri, Cenomani, Patavini. Italiam proprie dictam inhabitarunt Etrusci seu Tusci, Umbri,

Arretini, Volaterani, Sabini, Piceni, Venientes, Aequi, Vestini, Latini, quorum Roma sedes, Peligni, &c. Reliqua pars Italæ extrema, quæ Campaniam, Apuliam, Lucaniam & Brutios una cum Sicilia complectebatur, Græcia magna dicta est, utpote quam Græci coloniis suis eo deductis insidebant, quæ in varias se quoque stirpes propagarunt, Lucanos, Brundisios, Mesapios, Tarentinos, Brutios, Rhegios, &c.

Sequitur *Græcia*, quæ antequam orbis Imperio Romani potirentur, dictis factisque ac rebus gestis terrarum omnium celeberrima fuit. Hoc enim ex fonte litterarum omnium & Illustrium Virorum splendor egressus est. Ab ortu Aëgeum, a meridie Creticum, ab occasu Jonicum mare respicit: a Septentrione vero Scandicis jugis ab Illyrico & Moesia separatur, strimoneque amne a Thracibus. Regiones, in quas divisa fuit, erant: Macedonia, Epirus, Thessalia, Peloponesus, Achaja seu Græcia proprie dicta. Montes Poetarum fabulis celebratos numeravit Pindum, Helicona, Pelion, Ossam, Parnassum, Hymettum, &c. Flumina Acheronta, Acheloum, Peneum, Eurotam, Alpheum, Strimonem, &c. Urbes Pel-

Pellam, Corinthum, Olympiam, Elin, Spartam, Argon, Mycenas, Delphos, Athenas, &c.. Verum florentissima olim Græcia a Turcis devasta, modo rude-ribus suis sepulta, & ipsa barbarie magis barbara jacet.

Macedonia, quæ & Emathia dicta est, a mati Ægeo usque ad Jonicum se porrigit: inferius autem una ex parte Epirum, ex altera Thessaliam contingit, rur-susque in Pieriam, Æmathiam, Pæoniā & Mygdoniam sese dividit. Conspicua est urbe Pella, quam M. Alexan-dri natales inclytam reddiderunt. *Thraciæ* fines ponit a Borea Æmus fluvius, ab ortu Pontus & Propontis, a meridie mare Ægeum, ab occasu Strimon amnis. Divisam aliquando in quinquaginta Stra-tegias fuisse Author est Plinius. Regionis hujus populi Madi, Digei, Bessi, Odrysii, Bistones, &c. fluviorum ripas ad-coluere. Eminet ad Bosphorum Thracium urbs Bizantium, post Nova Roma, demum Constantinopolis nuncupata. Supra Macedoniam & Thraciam *Mæsia* seu *Mysia* sita est, in superiorem & inferiorem divisa, per quarum priorem Dardani, Hordisci, & Carpi: per posteriorem vero Triballi, Peucestæ ac Troglodytæ

se extendebant: urbem Tomum præ reliquis Ovidii exilium notam fecit.

Mœsis contermina est *Dacia*, quam insedere primum Valachi & Moldavi, Sogdiani, Taurisci, &c. tum Sarmatæ, Gothi & Hunni, demum Saxones Germanica gens a Carolo M. devicta in eam migrarunt. Postremus Europæ angulus est regio *Sarmatia* seu *Sauromatia*, quæ latissimos fines habuit: Cronium mare a Boreo: Orientem versus Sarmatiam Asiaticam: ab Austro Maeotin paludem, pontum Euxinum, Istrum, & Daciam: versus Occasum Germaniam, Vistulam amnem, Sueicum mare & Finningiam. Hanc grandem Europæ portionem occuparunt Riphaces, Rocolani, Hyperborei, Agathyrsi, Tauri, Maeotæ, Bastarni, Vendæi, Æstiæi, & Tyngaritæ, &c.

Terra continente relicta pandit se ingens Oceanus cum maribus, fretis, insulisque Europæ notissimis. Universam aquarum, ut ita dicam, monarchiam Veteres in quatuor velut Imperia diviserrunt, adjecto cuivis a plaga mundi, cui subjacet, nomine: nempe in Oceanum Septentrionalem seu hyperboreum, Orientalem, Meridionalem, & Occidentalem seu Atlanticum. Porro vasta hæc Ne-

ptuni

ptuni regna in minores quasi provincias discriminaverunt adpellatione a regionibus & populis, quos alluunt, translata: uti Septentrionalem Oceanum in mare Glaciale seu pigrum, in Cronium, in Germanicum, in Calidonium seu Deucalidianum, in Hybernicum, in Virginium, in Britannicum, in Aquitanicum, in Cantabricum, in Gallicum, in Balticum: Orientalem Oceanum in duo maria Sericum & Sinense: Meridionalem in Indicum, in Erythræum (quod rursus in Persicum, & Arabicum seu mare rubrum fuit bipartitum) & in partem unam Æthiopici maris versus Orientem: Occidentalem seu Atlanticum sive Hesperium Oceanum in maria, quæ oras partim Africanas partim Europæas quasdam alluunt, nomenque inde sortiuntur, & in alteram Æthiopici maris partem: his adnumerabant quoque Mediterraneum & Caspium seu Hirca- num mare: Mediterraneum, quod celeberrimum semper fuit, tribusque orbis partibus, quibus concluditur, velut com- mune, a Priscis in Orientalem & Occiden- talem distinguebatur: Orientali parti maria, quæ Euxinum, Ægæum ac Virgi- nium sinum nuncuparunt, Occidentali ve- ro Jonicum, Lybicum, Sardoum & Tyrr- henum,

henum, quæ denique in minora dispescebantur, tribuebant.

Insularum se primam in Europa offert *Britannia*, quæ ab albis ad litus petris *Albion* nomen sortiebatur. Quamvis vero ea pars, quæ nunc Scotia est, olim Calcedonia dicta fuerit, ut ex Tacito constat, tota tamen postmodum divisa fuit in Majorem Britanniam seu Australem, quæ nunc Anglia, & Minorem seu Borealem, quæ Scotia. Minorem incoluere Catini seu Carini, Lugi, Vacomagi, Taxali, Vetturiones, Damnii, aliquæ. Majorem Romani in varias distri-
buebant provincias: Valentiam, Maxi-
mam Cæfariensem, Britanniam primam
& secundam, quas variis quoque populi
habitarunt, ut Brigantes, Parisii, Cori-
tani, Dobuni, Attrebatii, Cantii, Belgæ,
Sulures, &c. Postmodum Pictis Scotis-
que reliquos subjugare conantibus evoca-
ti e Germania Saxones rerum potieban-
tur, inter quos strenuissimi Ingli, unde
Angliæ nomen Insulæ toti, in septem re-
gna divisæ, est inditum. Vicina Britan-
niæ *Hybernia*, quam multæ minorum
gentium insulæ cingunt, variæque natio-
nes inundarunt: Venienii, Darni, Robog-
dii, Eblani, Manepii, Gangani, Nangna-
tæ, &c.

tae, &c. His adjungenda *Thule*, modo Yslandia, ultimus ille orbis angulus, perpetuo frigore ac glacie horridus.

Aliæ insulæ sunt, quæ Hispaniæ adjacent, duæ *Baleares*, nunc Majorca & Minorca, quarum incolæ olim piraticam exercuere: *Ebusus* nunc *Ivica*, & *Gades*, extremus antiquis temporibus terminus.

Mediterranei maris insulas omnes magnitudine ac fama superat *Sicilia*, ab incolis Sicanis olim *Sicania*, & a tribus promontoriis *Trinacria* dicta. Incolas habuit pro varietate temporum varios: primum Cyclopes & Lestringios giganteæ staturæ. Hos insecuri ex Hispania Iberi, istos Siculi ex Italia, tum Phœnices, Græci, & Carthaginenses, quos demum ejecerunt Romulides.

In *Sardiniam* non procul a Sicilia sitam colonos primos deduxisse fertur Sardus Herculis filius; hos excepere Jolaccenses, Ilienses & Locrenses, tum Carthaginenses, donec istis devictis Romani suo illam Imperio adjecerunt.

Vicina Sardiniae *Corsica*, olim *Terapne* dicta, primo a Tuscis, post a Carthaginensibus, denique a Romanis habitata.

Agmen claudit *Creta*, quæ nunc *Can-*
dia, Græcis Latinisque monumentis ce-
 lebratissima, qnæ prima educta in pela-
 gus classe pugnavit, prima equestres pu-
 gnas docuit, prima literis Jura sociavit :
 Incolæ tamen vitiosi & piratica infames
 erant, quos D. Paullus hoc stigmate no-
 tabat : *Cretenſes semper mendaces.*

XXV.

Aſſiā.

Hæc media Periodo universa in ma-
 jorem & minorem divisa fuit, quarum
 prior complectebatur Sarmatiam, & Scy-
 thiam Asiaticam, Sericam, Sinas, Indiam
 cum adjacentibus insulis, Persiam, Par-
 thiam, plurimasque minores regiones,
 Assyrice olim ac Persice Monarchiæ fa-
 mulantes: posterior vero Phrygiam, My-
 siam, Lydiam, Cariam, Æolidem, Jo-
 niam, Doridem ac insulas Cyprum &
 Rhodum. Longitudo illius est inter Hel-
 lespontum & insulæ Japonicæ terminos
 milliarium Germanicorum 1925. latitudo
 autem a freto Boreali Weigaz usque ad
 extremas insulas Australes Indicas mil-
 liarium 1200.

Sarmatiam Asiaticam Thanais & Rha
fluvii, Oceanus Septentrionalis, & mare
Ca-

Caspium conclusere: populi autem incoluere Hyperborei, Hippophagi, Basilicæ, Pericobides, Turcæ & Amazones. *Scytbiam* Asiaticam mons Imaus in duas veluti partes divisit: Orientalem seu extra Imaum, & Occidentalem seu intra Imaum. Hanc tenuerunt Saffones, Alani, Jaxartæ, Massagettæ & Sacæ: illam Abrii, Charaunæi, &c. Eoum mare versus *Sericæ* regio Scythæ finitima fuit, cujus Incolæ Seres a Metropoli Sera, ubi sericum primo confectum est.

Post hanc ad meridiem vastissimum *Sinarum* imperium sese aperit, cuius exigua priscis temporibus notitia fuit, nec Græcorum nec Romanorum armis eo usque penetrantibus, & re nautica nequam bene constituta. Diversi populi: Ichtiophagi, Sinenses, Æthiopes, Ambustæ, Acadræ, Sematheni, &c. Regno huic ab ortu adversa jacet Insula *Japan* cum Syrmate multarum minorum. Obscura fama est, maximam illarum, scilicet Japan, antiquis sub Jabadiæ, minores vero sub nomine Satyrorum notas fuisse.

Sinarum regno ab occasu meridieque conjuncta est regio late patens, quam ab Indo fluvio nobilissimo *Indiam* adpellarunt. Alia est, quæ intra Gangem occasum

versus, alia quæ versus ortum extra Gangem. Ingens heic farrago gentium apud Veteres Geographos: præcipuæ fuerunt Brachmani, qui Indorum Philosophi sunt, Cacobæ, Chalcites, Cudutæ, Sindi seu Indi, Lesti, Antichæ, Gangaridæ, &c. E parte meridionali peninsula se porrigit Chrysa seu Aurea *Chersonesus* dicta, quam Tamaræ Antropophagi habitabant. Sed insularum per mare Indicum dispersarum haud facile numerus iniri potest. Princeps illarum est *Summatra*, pipere ac elephantis abundans: *Java*, *Celebes*, *Mo-luccæ* aromatibus celebres: *Philippinæ* ac *Toprabane* Veteribus notissima, a recentioribus Geographis *Ceylon* nuncupata.

Relictis itaque insulis in *Persiam* ac *Partbiam* migrandum est. Monarchia quidem Persica per tres orbis partes se extendit. Nam in Asia Armeniam, Persiam, Indiam intra Gangem, Assyriam, Syriam, Asiam minorem & Cyprum insulam; in Africa Ægyptum, partem Æthiopiarum ac Lybiam; in Europa Thraciam & Macedoniam cum insulis Ægæi maris vastissimo corpore suo olim complexa est. Verum heic de illa solum ampla regione, quæ Scythia, India, Arabia, & Armenia tanquam positis limitibus conclusa fuit,
& Per-

& Persarum ac Parthorum regnum dicebatur, agendum est. In quatuordecim provincias divisa fuit Persia, quarum illestrior Sogdiana, Bactriana, Persis, Susiana, Assyria, Media, Hyrcania ac Parthia, &c. ex his populi quoque Persicum regnum incolentes facile dignosci poterunt, eodem cum provinciis nomine insigniti. Parthi quidem temulentiae nota infames, sed fortes simul ac bello strenui, ipsis Romanis formidandi erant. Assyrica non minus Monarchia, quæ Persicam præcessit, latissime patuit, & Armeniam, Mediam, Persiam, Parthiam, Hyrcaniam, Bactrianam, Syriam, Asiam minorem, Ægyptum, Lybiam ac Æthiopiam sub jugo tenuit. Verum ipsa *Affyria* privata regio angustis limitibus circumscripta fuit, nempe Lyco amne, ac Tigri fluvio.

Reliquas Asie tum Minoris tum Majoris provincias, mari Caspio, sinu Persico, Euxino ponto, & mediterraneo velut brachiis quatuor constrictas, scilicet *Armeniam*, *Mesopotamiam*, *Affyriam*, *Syriam*, *Babyloniam*, *Chaldaeam*, *Palæstinam*, *Arabiam*, ipsamque *Asiam minorem* prima periodus spectandas exhibuit, cui secunda vix habet, quod addat, quam quod

incolarum quidem numero ac propagatione auctæ, pristini tamen splendoris famaque detrimenta continua velut serie sint paissæ; potentia, literarum ac morum cultura, dominatuque magnis passibus in Europam migrante, substituta Asiam barbarie.

Supereft *Cyprus* & *Rhodus*, clarissimæ duæ maris mediterranei, qua parte Asiam alluit, insulæ. *Cyprus* novem regnorum, ut Veterum Annales memorant, quondam sedes in quatuor postmodum divisa partes est: Salaminam, Paphiam, Amathusiam, & Lapithiam. Tanta erat ejus opulentia, ut Porcio Catone post dominatam gentem cyprias opes Romam transferente, spolia hæc largius ærarium populi Romani, quam ullus triumphus, impleverint. Minor amplitudine, sed nobilitate par fuit *Rhodus* insula, re nautica maxime illustris, nec minus literarum & eloquentiæ studio, quod præcipue urbs princeps *Rhodus* profitebatur: ex omnibus tamen monumentis eminuit illud orbis miraculum, solis colossus, 70. pedes altus, ex ære conflatus, cujus crura tam ampla, ut naves velis instructæ inoffenso pede transire potuerint: post an. 56. terræ motu prostrata moles etiam jacens prodigio fuit.

XXVI.

Africa.

Hanc veteres Geographi cum principe suo Ptolomæo Lybiæ nomine in libris mappisque suis posteritati prodiderunt. Maxima est terrarum orbis peninsula; exiguo Isthmo 25. milliarium Asiæ conexa. Limites quibus cingitur, sunt maria: Rubrum, qua sol oritur: qua medius dies, Æthiopicum: qua occidit phœbus, Atlanticum: qua polum Arcticum respicit, maris interni pars, Africum seu Lybicum dicta. Latitudo summa computatur ab Herculis freto ad promontorium Bonæ spei 1400. milliarium: Longitudo autem inter duo promontoria Hesperium (vulgo Capo Verde) & Aromata, quod est juxta sauces sinus Arabici situm, nunc Guardafai, milliarium 1600. Terra ipsa, nisi ea qua interno mari accedit parte, Veteribus obscure nota: ultra Nili autem fontes, & montes Lunæ prorsus incognita fuit. Hac temporis periodo universa in regiones Ægyptum, Cyreniacam, Africam minorē, Garamanticam, Numidiam, Mauritiam, Getuliam, Lybiam interiorem, Arabiam Troglodyticam, & Æthiopicam divisa fuit. *Ægyptus* nomen traxit ab Ægy-

Ægypto Danai fratre, Aeria ante dicta.
 Superior in Austrum vergit, & a Nilo in
 Lybiam: inferior in Septentrionem, & ab
 eodem flumine in Arabicam discrimina-
 batur: Tota regio in complures præfe-
 cturas, quas *Nomos* adpellabant, descripta
 fuerat. Post deletam Carthaginem Ægy-
 pti totiusque Africæ caput fuit Alexan-
 dria, ab Alexandro M. condita. *Cyrenai-
 ca* regio adhæret Ægypto, Pentapolis quo-
 que dicta ob insignes quinque urbes. Se-
 quitur *Africa* proprie dicta sive minor,
 quæ quidquid Tunetanum hodie regnum
 continet, gremio suo fovebat, numera-
 vitque incolas cæteris anteferendos: Na-
 somanes, Psyllos, Lybiphœnices, & Pœ-
 nos. Austrum versus ultra Lybiam de-
 sertam *Traglodytas* est reperire, qui tan-
 ta cursus celeritate pollebant, ut feras
 ipsas adsequi potuerint. Post hos *Gara-
 mantes*, quos extremos Romani credebant
 esse populos in Africa; hinc natum pro-
 verbum: *ad Garamantas & Indos able-
 gare.*

Africam minorem inter & Maurita-
 niam Tingitanam versus mare internum
Numidia patet, cuius incolæ Numidæ an-
 tea Nomades dicti, qui mapalia sua plau-
 stris circumferunt, & omnia sua secum
 por-

portant. Heic celebris urbs Hippo. Ultima ad occasum panditur *Mauritania*, in qua præcipua gens Maurorum: Veteres eam divisere in Cæsariensem & Tingitanam. Ultra Atlantem *Lybia interior* ad Nigrum usque fluvium protenditur, vastissimarum solitudinum parens, & ferarum potius quam hominum ingens domicilium. Quidquid vero ultra Nigrum est & Ægyptum, versus utrumque mare Atlanticum & rubrum, *Æthiopes* tenuerunt, gens omnium amplissima, a nigro vultus corporisque colore sic dicta; notissimi fuerunt populi: *Nigritæ*, & *Nubii*, ac *Æthiopes* sub Ægypto. Reliquæ vastissima Africæ regna, regiones, & populi, qui partem Australem & circum litora habitant, uti & insulæ huic orbis parti adjacentes, quum potissimum per navigationes ab Lusitanis, Hispanis, Gallis & Anglis atque Batavis institutas clara eorum notitia ad nos pervenerit, ad tertiam periodum pertinent.



§. VI.

Tertia orbis habitati Periodus.

XXVII.

Hæc initium dicit a Caroli M. ætate, in qua Romana Monarchia diversorum hostium nationumque barbararum huc & illuc migrantium impetu conquassata, & vix non ruinis suis sepulta caput extulit, & ad usque nostra quæ vivimus tempora sese protendit. Mira heic in orbis theatro comparet vicissitudo. Europa certe novam induit faciem. Quippe prioribus seculis Occidentale Imperium primum per Alaricum Regem Gothorum, post per Attilam, qui flagellum Dei dici se passus est, Regem Hunnorum, & Gensericum Regem Vandalorum ubique vastatum, imminutum, disceptumque fuit. Hispaniam Visigothi, tum Mauri: Galliam Franci: Britanniam Pictenses & Anglo Saxones: Italiam Heruli & Ostrogothi, tum Lombardi occuparunt, ac regna hæc plurimis mutationibus obnoxia reddiderunt. Verum sub Carolo M. circa an. Chr. octingentesimum suppressis Tyrannis revixit Majestas Imperii Romani; Galliæ quoque Italiæque regna pristino splendori suo magno cum augmento per eun-

eundem Heroem Christianum restituta fure. Hispania omnis expulsis Maurorum & Saracenorum octingentis millibus sub Ferdinando Catholico in unam eamque potentissimam Monarchiam coaluit anno Chr. 1492. Magna Britannia post multas septem Regulorum inter se discordias tandem circa an. 810. tribus Regibus Angliae, Scotiae ac Hyberniae parere coepit, donec unius sceptro & dominatui tria haec regna caput suum inclinarint. Dania a Teutonibus & Cimbris varie divisa an. 853. sub Erico Rege in regnum unum coivit. In Suecia regia potestas diutissime penes indigenas fuit: tum Daniæ conjuncta, rursumque avulsa est, donec Gustavus ex antiqua Regum Sueciæ prosapia oriundus sceptrum Sueciæ primus e Danorum manibus subduxerit, & ad posteros transmiserit. Russici Imperii habenas ab incolis sibi traditas moderati sunt tres Dani Fratres circa annum 861. quibus variis Principes ad haec usque tempora, aliquando plures, ut plurimum unus, successere. Polonia fere tota olim a Sarmatis occupata, tandem anno 1000. Boleslaum Chabricum ab Ottoni III. Imp. Regem accepit. Hungariae regnum ejectis deletisque Hunnis Stephanus Regum primus & Sanctus anno 954. veluti condidit & stabilivit. Germania

denique priscis limitibus nominibusque depositis in novam omnino formam redacta, & in decem Circulos distributa fuit anno 1512. Ut taceam nunc alias minores regnorum ac Rerumpublicarum in Europa vicissitudines.

Asia quoque in aliam migrasse hoc temporis tractu videri potest. Nam una ex parte Turcæ subacta Perside ac subjugatis Asiæ minoris, adjacentibusque provinciis septem Principatus fundarunt: tum Othomanus seu Osmanus imperium solus arripuit, regnique sedem Prusæ in Bythnia constituit. Ejus Successores Græcis quoque profligatis manus rapaces Orientali Imperio injecerunt, quod Mahometes II. capta Constantinopoli cum irreparabili Christianorum damno extinxit, vel potius in se suosque posteros per immane nefas transtulit, fixa Bizantii sede Imperii. Ab eo tempore fœda barbaries totam ferre Asiam inundavit: ex altera parte Imperia Chinense, Japonicum, Mogolicum, Indias cum adjacentibus insulis, quæ magnam Asiæ partem conficiunt, Veteribus parum cognitas, priora primum tempora feliciter detexerunt.

Africa non minus metamorphosin ea tempestate subiit: diversa caput extule-

re regna : Fessanum, Maroccense, Algerianum, Tunetanum, Tripolitanum, quæ tria posteriora denique in Respublicas & Aristocratias migrarunt. Turcica quoque potentia magnopere per Africam se dilatavit.

Demum præcipua est, quam tertia hæc temporum periodus sibi tanquam propriam vendicat, America quarta orbis pars, tamdiu ignota, seculo primum decimo quinto, ut videbimus, detecta. Per singula hæc unum in conspectum data nunc ire juvat, sed festinante veluti pede ac calamo.

XXVIII.

E u r o p a.

Magnitudine quidem reliquis orbis partibus inferior, sed modo incolarum copia, frugum ubertate, artium & scientiarum cultura, divitiis Martisque gloria, & Christianæ Religionis cultu omnibus longe superior est. Imperia numerat tria: Romanum, Russicum, & Turcicum; quatuordecim regna : Portugalliam, Hispaniam, Galliam, M. Britanniam, Daniam, Sueciam, Germaniam, Borussiam, Polonię, Bohemiam, Hungariam, Neapolin, Siciliam, Sardiniam. Respublicas po-

tentiores quatuor : Hollandiam, Helvetiam, Venetam, Genuensem. Præterea Statum ut vocant Ecclesiasticum, seu Dominium Romani Pontificis in Italia; Republicas quoque minores aliquas : Principatus, Landgraviatus, Marchionatus, Comitatus & Baronatus pene innumeros. Tota ferme inter Zonam temperatam se se explicat, fœcunda tum prolium tum ingeniorum Mater, cui Ricciolus præstansissimus Geographus (m) hominum centies decem centena millia, seu centum *milliones* circiter tribuit.

Lusitania seu *Portugallia* primum ordine Geographico locum occupat. Regnum hoc Hispanicæ Monarchiæ an. 1580. a Philippo II. insertum, ab ea denuo avulsum fuit an. 1640. quo Joannes Dux de Braganza Hispanicum jugum deterrans unanimi voto in Regem electus est. Dominium suum ex Europa in omnes orbis partes extendit. Nam in America Brasiliam, in Africa Congensis regni partem non modicam, in Asia Goam & Malaccam, insulas Moluccenses, &c. Lusitani possident. Dividitur autem universa in sex provincias : Interamnensem, Transmontanam, Deiram, Estremaduram, Trans-

Transtaganam , seu Alentejo , & Algarbiām , quæ titulo regni gaudet.

Hispānia hodie in quindecim provincias distribuitur, quatuor orbis plagi obversas : Boream versus in Gallæciam , Asturiam, Biscaiam : versus ortum in Nāvārām aliqua sui parte , Aragoniam , Catalonia : ab Austro in Valentiam , Murciam , Granadam : ab occasu in Andalusiam, Extramaduram, Legionem. Mediae Hispāniæ Castilia vetus & novus dominatur : mari vero Majorca regnum cum reliquis insulis.

Superatis alpibus *Gallia* sese offert , regnum Monarchicum , cuius lilia neque laborant , neque nent , quum fœminas lex Gallica a regni gubernaculo prohibeat. Duodecim numerat provincias , quarum tres in gremio Galliæ , nempe Insula Franciæ , Aurelianensis , & Lugdunensis : tres ad Boream , Britannia minor , Normannia , Picardia : ad ortum tres , Campania , Burgundia Ducatus , Delphinatus : tres ad Austrum , Provincia , Languedocia , Aquitania .

Italia , quondam orbis Domina , sed post continuis tam cum Germanis Imperatoribus , quam inter ipsos Italiae Principes

cipes bellis discissa, dividitur modo in Italiam Superiorem, Medium, & Inferiorum. Superior complectitur Ducatus Sabauidæ, Pedemontium, Montis ferrati, Mediolanensem, Mantuanum, Parmensem, Mutinensem & Mirandolanum: Principatus vero Monoccensem, Castilionensem, Novellarum, Sabulonettensem, Bolognatum, Solfarinum, Masseranum, Massianensem: Respublicas denique liberas, Venetam, Genuensem & Lucanam. Media continet tum Statum ut vocant Pontificium, in duodecim ditiones distributum; Latium, Agrum Sabinum, Patrimonium S. Petri, Agrum Urbevetanum, Ducatum Castrensem, Agrum Perusinum, Umbriam, Marchiam Anconitanam, Ducatum Urbinensem, Romandiolas, Ducatum Ferrariensem, Agrum Bonnonensem; tum Magnum Ducatum Hetruriæ. Inferior dividitur in regna Neapolitanum, Siciliæ, Sardiniae, Corsicanum, & Insulam Equitum Militensium.

Italiæ succedit *Germania*, quæ Cor Europæ vocatur. Universa qua late patet, a Maximiliano I. Imp. an. 1512. in circulos decem discriminata fuit, nempe Austriacum, Burgundicum, Rhenanum Inferiorem, Bavaricum, Franconicum, Sue-

Suevicum, Rhenanum Superiorem, Westphalicum, Saxonicum Inferiorem, & Superiorem. Circulorum quilibet rursus plures Ducatus, Principatus, Comitatus continet, quos omnes enumerare nimis longum foret. His annexi oportet tum Bohemiae regnum, quod licet hereditario jure ad Domum Austriacam pertinet, tamen in Imperio Electoralem quoque dignitatem sustinet, in octodecim minores circulos a Carolo IV. Imp. divisum: tum Belgium Federatum, quod septem Provinciae unitae componunt, quæ cum reliquis decem, a quibus priores excusso jugo Hispanico secessionem fecere, totum qua late patet, Belgium conficiebant: tum Helvetia, quæ domui olim Austriacæ subjecta, sed icto adversus eam foedere avulsa in Rempublicam migravit, ac in tredecim Cantones partim Catholicos, partim Acatholicos modo divisa est.

E Germania navigandum in *Britanniam Magnam*, quæ Angliam, Scotiam & Hiberniam complectitur. Sanctissimorum olim, & tum in sacris tum profanis disciplinis eruditissimorum hominum nutrix & patria fuit, nunc exercendis mechanicis artibus & mercimoniis terra

marique tractandis intenta. Celebre in Anglia est Westmonasterium, antiqua sedes Regum, nunc Domus ut adpellant Parlamenti magnifica : in superiore hujus parte, ubi Thronus Regius, genere Illustres, officioque ac dignitate præcelentes ad negotia regni tractanda conveniunt ; in parte vero inferiore reliqui Nobiles minorum gentium, urbiumque Legati. Cætera plures magnæ Britaniæ adjacent Insulæ, ut Orcades, Hebrides, Vectis, &c.

Dania maribus & fretis in insulas, & peninsulas divisa est : præcipuæ insulæ sunt Seelandia, Fonia, Lalandia, &c. peninsula Jutlandia, ubi Sleswicum Ducatus. Daniæ Regno *Norwegia* modo paret, huic vero Islandia, ubi mons ignivomus Hecla, & halecum piscatio, atque Grönlandia Orientalis ; nam Occidentalem frequentant Dani, Angli, Batavi, Galli, aliique capiendis piscibus intenti.

Daniam excipit *Suecia*, quæ sex provincias numerat : Sueoniam seu Sueciam, Gothlandiam, Nortlandiam, in qua Lapponia, Finniam, Ingriam & Livoniæ. Peninsula totius Sueciae notissima est Schonia, olim Scandia, e qua velut agmi-

agmine facto prodierunt Gotti, Ostrogotti, cæteræque Europæ locustæ.

Relicta Suecia amplissimum sese pandit *Moscoviae* seu *Russiae* Imperium. Ditiones in Europa censet varias: *Moscoviae* magnum Ducatum, *Laponiae* partem, *Casanum* regnum, item *Bulgariæ*, *Livoniam* *Suecis* erectam, *Ingriam*, & *Careliæ* partem. In Asia vero occupat *Alstracan* regnum, *Samoiedam*, *Siberiam* & *Tartarorum* populos diversos fibi venticigales. Gentem alias barbaram erudire cœpit Petrus Alexius, Magnus Czarius appellatus, qui suscepis per Europam itineribus viros doctos, artifices peritos, aliosque politicae rei gñaros Imperio suo invexit, non sine grandi ejus commodo & Reipublicæ emolumento.

A *Russia* in *Poloniæ* divertere lumbet, ubi libertas & vita pari passu ambulant. Dividitur in Majorem & Minorēm: præterea in *Ducatus* & *Palatinatus* maiores septem, inter quos eminent magnus *Lithuaniae* *Ducatus*, quibus omnibus accedit feudi nomine *Curlandia*.

E *Polonia* patet descensus in cruentum *Turcici Martis* theatrum, scilicet *Hungariam*, quæ in Superiorem, cuius
K 5 Poso-

Posonium, & in Inferiorem, cuius Bud'a caput est, divisa complectitur Croatia, Sclavoniam, Transylvaniam, & septuaginta quatuor Comitatus; præterea Serviæ ac Bosniæ regnum, seu potius partem regni, Turcis non ita pridem ereptam. Prioris metropolis est Alba Græca, munitissima paucis abhinc annis, & invictus Christiani orbis murus Turcarum furori oppositus, sed tota fere nunc moles immensis extorta sumtibus, nescio quo hominum fato vel Superum ira propriis sepulta ruinis.

Europæ descriptionem claudat *Turcia Europæa*, quæ qua late patet, fines suos in Moldaviam usque, Wallachiam, Serviam, Bosniam & Dalmatiæ extendit: angustioribus autem limitibus circumscripta partem Tartariæ minoris, Crimeam, & Bessarabiam, item Bulgaria, Romaniam & Græciam complectitur. Tartaria minor, olim Scythia Europæa, in duodecim provincias sese explicat, a quibus singuli diverso nomine Tartari nuncupantur, ut Crimenses, Precopenses, Calmuckii, Bessarabii, &c. Tartaria Crimensis & Precopensis est magna peninsula, olim Chersonesus Taurica. Bulgariae Metropolis est Sophia, urbs ampla,

plā, sed muris destituta : Romaniæ vero (quondam Thraciæ) Byzantium sive Constantinopolis, caput Imperii Turcici, & sedes Sultani. Romaniam excipit Roma lia, olim Græcia, in sex modo provin cias, Macedoniam, Albaniam, Epirum, Achajam, Thessaliam, & Moream seu Peloponesum divisa cum adjacentibus to tius Archipelagi insulis, quarum maximæ sunt Euboea seu Negreponte, Candia seu Creta, Rhodus, Cyprus ereptæ Vene tis, & nunc Turcico sub jugo gemen tes.

XXIX.

A s i a.

Asiam splendore veteri majore sui parte exutam præsens periodus exhibet ; quamvis in lucem quoque protrahat splen dida quædam Imperia, priscis parum no ta, navigationis tamen ope ultimis hisce seculis detecta. Universa modo dividi tur in Tartariam Magnam, in Imperium Turcicum, Persicum, Mogolicum, Chinense, Japonicum, Indiam extra & intra Gangem, ac insulas ortum versus ad jacentes. Ricciolus tribuit Asiae circiter quingenties decem centena millia, seu 500. *milliones* incolarum.

Tas-

Tartaria Magna vastissima Asiæ portio est, cui omni olim imperitabat Magnus Tartarorum Chanus: nunc in plura regna & dominia dispescitur, in quibus tamen omnibus regnat eadem barbaries. Præcipua sunt *Tartaria Maritima* sive *Lapponica*, *Moscovitica* seu *Rufifica*, *Tartaria vagabundorum*, queis nulla stabilis sedes: ex hac in Chinam irruerunt, eamque ab anno 1630. in hanc usque diem obtinent. *Tartaria Tibetica*, *Usbeckiana* seu *Zaagathaia*, *Turkestan*, *Magni Tamerlani patria*, & *Mogolica*.

Imperium Turcicum Asiaticum in sex provincias se dilatat: *Natoliam*, *Syriam*, *Georgiam*, *Turcomanniam*, *Mesopotamiam*, *Chaldæam* & triplicem *Arabiam*.

Perficum Imperium unum est e præcipuis Asiæ, quod suprema cum potestate moderatur *Sophi*, & *Schach*, ac si diceret Sapientem & Regem. Octodecim provinciis superbit, quarum celebriorum nomina sunt: *Servan*, *Aderbeizan*, *Arach*, ubi regia sedes *Ispachan*, maximis totius orbis civitatibus adnumeranda, & *Faristan*.

Mogolicum sequitur *Imperium*, cui nomen quoque *Indostan*, quum magna sit

sit pars Indiæ Orientalis Boream versus: auro, argento, gemmis ac unionibus, ebore & aromatibus omnium nobilissimis abundat, quarum rerum ingentem suppellectilem navibus impositam singulis annis Hollandi, Lusitani, Hispani, Galli, Sueci, Dani, aliique in Europam secum afferunt. Imperatores, Magni Mogoles dicti, e Familia Tamerlanis ortum duce-re creduntur. Dividitur universum in partem occidentalem & orientalem, qua-rum utraque simul quadraginta regna seu provincias numerat.

Indiam omnem in duas partes veluti secat Ganges fluvius, in eam quæ intra, & illam quæ extra Gangem est. India intra Gangem Comorina dicitur a Co-morino magnæ peninsulæ promontorio, continetque quatuor præcipua regna: Decan (ubi Goa emporium celebre, ac sedes Pro- Regis Lusitani) Malabariam, Bisnagar, & Golcondam cum ora Pisca-ria. Quæ est extra Gangem, in partes Borealem, Australem & Orientalem di-stribuitur. Borealem occupant regna Ben-gala, Ava & Pegu: Australem insignem reddit regnum & urbs Siam, Venetiis ob aquarum canales, qui platearum vi-ces obeunt, non absimilis: Orientalis

con-

continet regna Cochinchinam, Tunquin,
& Laos.

China Imperium amplitudine, magnificientia, ac Politiae studio longe celeberrimum est. Dividitur in partem Borealem, quod sex, & Australem, quod novem regna comprehendit. Prae reliquis memoranda veniunt regnum Xuntien, quod celebri muro 300. millaria longo, & ad Tartorum incursiones cohibendas exstructo terminatur. In eo caput regni ac totius Imperii Peckinum, Imperatoris sedes ac urbs amplissima: regnum Xantung, in quo urbs Ceu, patria Philosophi ac Legislatoris Chinensium Confutii: regnum Quantung, cuius metropolis & Civitas Canton, ultra quam absque licentia Peckinensis Aulae Europaeis penetrare non licet. Totius autem Chinæ urbes sat magnæ ultra duo millia trecentæ septuaginta numerantur, incolæ vero *milliones* 59. conficiunt.

Sinis proximum est *Japonicum* Imperium, quod per tres præcipue insulas Nischon seu Japon, Xino seu Bungo, & Xicoco seu Tockœsi diffusum est. Has tres velut principes aliae minores insulæ adjacentes coronaë instar circumdant. Totius Japoniæ metropolis est Meacum, ubi tem-

plum

plum trecentis sexaginta quinque Idolis
in singulos anni dies dicatum.

Ex Insulis Asiae parti adjacentibus celebriores notioresque sunt *Marianæ*, alias Latronum a Ferdinando Magellanes, dum iter per orbem maritimum instituit, detectæ, numero 162. quæ ab Austro in Boream ad ipsam prope Japoniam sese porrigunt. *Philippinæ* sub Philippo II. Rege Hispaniæ inventæ, ingens minorum insularum farrago, e quibus eminent *Manilha*: inter maximas autem est *Mindanao*: *Moluccenses*, quarum præcipua est *Celibes*, *Hollandorum* *Anglorumque* commercio frequens. E *Sondicis* insulis tres occurunt, quæ sua se magnitudine commendant: *Borneo*, lapide Bezoardico dives: *Java*, in qua nova *Batavia*, urbs & emporium ditissimum: *Summatra* potentissimi Regis sedes. Memoratu quoque digna est insula *Zeylon* una e præcipuis & felicissimis Indiarum prope *Coromandeliam*. Paret Regi, sed oras maritimæ plerasque *Hollandi* occupant. Ex parte Occidentali *Malabariam* versus longam insularum catenam videre est, quas *Maldivas* adpellant: in tredecim classes distinguuntur, atque eminentibus e profundo scopulis ceu vallo contra fluctus insur-

surgentes defenduntur. Denique terræ Australes necdum satis cognitæ descrip-
tioni Asiæ finem faciant, inter quas no-
va Zeelandia, nova Hollandia, nova Gui-
nea, nova Carpentaria : has ingressi Batavi
oras quidem maritimas occuparunt, & pro-
montoria quædam detexerunt, interiori-
bus tamen humanæ sagacitati, & avaritiæ
indagini adhuc relictis.

XXX.

A f r i c a .

Africa minor Asia, Europa major est,
neutquam tamen pro magnitudine sua
satis culta. Quippe ampla ejus pars,
præsertim Æquatori ac Zonæ Torridæ
subjecta, ubi nec rivum nec fontem re-
perire est, sed nonnisi immensos calen-
tium arenarum cumulos, sterilis ac de-
serta jacet. Soli prædones, maxime Ara-
bes, vagabundi locustarum more has ter-
ras depascunt. Ricciolus huic orbis par-
ti centies decies centena millia circiter
seu centum *milliones* incolarum assignat.
Dividi modo solet in tredecim regiones
majores: versus Europam quidem in Bar-
bariam, Biledulgerit, Desertum Saara, Ni-
gritiam & Guineam: versus Asiam in re-
gnum Nubiæ, Imperium Abyssinum, re-
gnum

gnum Ægypti, & Imperium Monæmugorum: versus mare Australe in regnum Congo, oram Zanquebariam, regnum Monomotapæ, & oram Cafrariam.

Barbaria, cuius pars Occidentalis dicitur Mauritania, Maurorum patria: Orientalis vero est continua velut urbium maritimarum catena, in quibus piratarum, vulgo Corsarum, nidi sunt, & Christianorum ergastula. Tota vero distribuitur in sex regna: Fetz, Marocco, Albigericanum, Tunetanum, Tripolitanum, & Barcanum.

Biledulgerid, olim Lybia interior, ingens terræ tractus est, ab Occidentali Oceano usque ad Ægyptum excurrens, sed ut plurimum deserta & sterilis, habitataque incolis Tartarorum more vagantibus, & rapto vivere assuetis.

Saara, olim Lybia exterior, ferarum omnis generis feracissima regio, quibus nihil mansuetiores sunt homines, latrociniis & maleficiis perdite dediti. Hinc parum nota est, paucisque urbibus & oppidis clara.

Nigritnia a flvio nigro sic dicta, cuius natales in Æthiopia. Dispescitur in regna mediterranea quatuordecim, &

in maritima : incolæ oinnes sunt nigerim coloris, quos Angli magno pretio emunt, & in Americam ad labores & servitia transferunt.

Guinea magnus oræ maritimæ Tra-
ctus in quatuor regna distributus, a Lu-
sitanis, Anglis, Gallis & Hollandis fre-
quentatur.

Nubia regnum a proprio quodam re-
ge administratur, sed Imperatoribus par-
tim Turcarum, partim Abyssiniæ tributum
solvere debet.

Abyssina seu *Æthiopia* superior Impe-
rium olim vastissimum fuit, sed hodie
tum a Turcis, tum a barbaris Monæmu-
gis non parum imminutum, quamvis ejus-
dem Imperator, quem Magnum Negum di-
cunt, sedecim adhuc provinciis dominetur.
Aula Imperatoris vaga : raro diutius eo-
dem in loco consistit, sed sub tentoriis
habitat, quæ repente ubique locorum ur-
bis in modum scite disponunt Abyssini.

Ægyptus, cui dominabantur olim Pha-
raones, post varias vicissitudines tandem
Turcarum potestati cessit, dividiturque in
Superiorem Said, olim Thebais, in Medium
seu Vostani, & inferiorem seu Bahri. Incolæ
plerique sunt Mahometani, Gentilibus, Ju-
dæis,

dæis, Græcis, & Copticis Christianis permixti. Cairo caput regni est, duo inter Nili brachia conditum, atque ruderibus antiquæ Mempheos, Pyramidum, & Sepulchrorum Ægyptiorum superbit.

Congo regnum seu Æthiopia inferior, vasta sub Aequatore regio, in quam Lusitani colonias duxere, in quarum vicem Æthiopes dominio suo subditos magno numero in Brasiliam transferunt.

Imperium *Monæmugorum*, sive media Æthiopia e variis provinciis undique circumjacentibus, belloque subactis coaliuit.

Imperium *Monomotapæ*, ditissima totius Africæ regio est: vix enim alibi major auri argenteique copia reperitur. Plus quam viginti in se regna continet, unius tamen Imperatoris dominio subiecta.

Ora *Cafraria* duobus quasi cruribus Æthiopiæ partem Occidentalem & Orientalem comprehendit. Celeberrimum heic est promontorium Bonæ spei, a Lusitanis primum, tum ab Hollandis occupatum, qui e navibus in Asiam ultro citaque tendentibus, & ibidem hybernantibus magnum faciunt quæstum.

Ora *Zanquebaria* octo regnis constat, totidemque regulis servit, quorum aliqui Regi *Lusitaniae* tributum pendunt.

Supersunt insulæ ad Africam spectantes. Has inter eminet insula Cerne Plinio dicta, nunc incolis *Madagascar*, *Lusitanis* insula S. Laurentii, par *Hyberniae*: In mari Atlantico contra *Mauritaniam* disseminatæ sunt plures insulæ, quas *Fortunatas* dixere Veteres ob aeris temperiem, solique amoenitatem; hodie *Canariæ* vocantur. Eodem in mari Atlantico insularum agmen parvum ad promontorium *Viride* conspicitur, scilicet *Hesperidum* seu *Gorgadum*: porro *Azores* ab accipitrum copia, seu *Flandricæ* ab inventoribus *Flanders* nuncupatae. Denique ad oram *Zanquebariam* inter alias est *Mozambique*, ubi *Lusitani* ex *Indica* navigatione reducunt quiescunt.

XXXI.

America.

Præcipuum decus, & velut proprium, quod in orbe terrarum tertia temporum periodus sibi vendicat, est quarta illius pars, scilicet *America*, seu novus ut nuncupatur orbis. Hæc a Christophoro *Columbo* Genuensi an. 1492. primum inventa.

venta, ab Americo autem Vespuccio Florentino secundum plures sui partes anno 1497. detecta, magnitudine sua, si a polo Boreali ad Australem mensura capiatur, tres orbis antiqui partes exæquat. Tota Oceano circumfunditur, nisi forte Boream versus cum altero orbis hemisphærio cohæreat, Certe ab Europa & Africa & parte Occidentali per mare Atlanticum seu del Nort, ex parte Orientali ab Asia per mare pacificum seu del Zur separatur. Polum Australem versus Magellanico mari terminatur. An vero America Veteribus prorsus incognita fuerit, adhuc sub judice lis est. Non defunt, qui stent pro notitia terræ hujus ab Antiquis hausta, non levibus ad id persuadendum inducti rationum momentis. Profecto apud Platonem (n) Sacerdotes Ægyptii narrant Soloni Atheniensi, qui quadringentis circiter annis ante Christum natum vixit, insulam fuisse quandam contra fretum Herculeum, Africa simul & Asia majorem, nomine Atlantidem. Diodorus vero Siculus (o) tradit, Phœnices vetustissimis inde temporibus, quum Herculis columnas transvecti Africæ litora legerent, ventorum procellis ad lon-

(n) *In Timæo.*(o) *Lib. 5.*

longinquos in Oceano tractus fuisse ab reptos, ac per multos dies vi tempestatis jactatos tandem ad insulam pervenisse latissime patentem, cuius solum amoenum ac frugiferum, amnibusque navigationis patientibus irriguum. Aristoteles quoque, vel quicunque demum Author sit libelli de Mundo, de Mercatoribus Carthaginensibus memorat, eos post traje&ctum fretum Herculeum vela direxiisse magis versus Occidentem, & post multos dies ad pulisse in maximam quandam incognitamque terram: at non diutulisse hanc navigationem Senatum Carthaginem, veritum, ne illa nova terra in dilitias ac potentiam crescente deficeret ipsa Carthago, uti observat ex Aristotele Lipsius in *Physiolog. Stoic.* In hac rei ambiguitate hoc certum, intermissis postea his navigationibus Americæ memoriam ad seculi usque decimi quinti tempora oblivione sepultam fuisse. Äque incertum ac controversiæ obnoxium est, unde in orbem hunc novum primi penetrarint incolæ. Diversas diversi Geographi vias investigarunt. Nam qui Americam Asiæ alicubi cohærere persuasum habent, viam assignant terrestrem per novam Zemblam aut Grönlandiam Scythis seu Tartaris apertam, quum varii Americæ

ricæ populi, præsertim Mexicanæ, Peruani & Brasilienses Scythicæ originis argumenta luculenta moribus suis præferant: aut a China vel Japonia per terram Jes- do recens detectam. Qui vero ab Asia per Oceanum avulsam esse credunt Americam, maritimo itinere Phœnicum aut Carthaginensium quosdam eo delatos existimant, qui primi regiones illas infederint, quum & horum populorum genius in pluribus orbis istius incolis notetur. Porro America, qua lata est, excurrit duo inter freta, Anianum & Magellanicum milliarium 2400. spatio; qua vero longa est, a freto Anian usque ad fines novæ Franciæ 1300. Universim novo huic orbi trecentos hominum, ut vocant, *milles* Ricciolus adtribuit. Dividitur autem a Geographis vastissima hæc terræ moles velut e centro suo duas in partes, Borealem scilicet & Australem, per modicum Isthmum Panamensem, nonnisi quindecim leucas latum.

In parte Boreali magis a polo remota, magisque nota octo regiones occur- runt. Mexicanum Regnum sive nova His- spania, quæ tota ferme Zonæ Torridæ subjacet, magnamque auri & argenti vim profert. Eam Ferdinandus Cortesius an-

no 1521. occupavit, Regique Hispaniarum subjecit, quam hic in provincias octodecim divisam tribus regiis Tribulibus Mexici, Quadalajaræ, ac Guatimalæ constitutis moderandam commisit.

Novum Mexicanum regio vastissima est, & ultra 500. milliaria a Mexicano, de quo prius, regno versus Septentrionem remota inventaque ab Hispanis an. 1583. Hanc incolunt diversi populi Regulique, quos Caziques appellant: plurimi tamen eorum ad veram fidem traducti Hispanico se jugo submisere.

California maxima orbis insula olim credebatur: sed re penitus inspecta partuit, eam versus Boream novo Mexico conjunctam solo flumine Colorado ab illo dirimi, atque ita Peninsulis adnumerandam esse. Est urbibus & pecoribus frequens, ac jussu Regis Hispaniarum anno 1683. ab Isidoro de Antillon Navarro occupata fuit, immisis divini Verbi præconibus.

Regio *Louisiana* sub auspiciis Ludovici XIV. Galliarum Regis priore seculo detecta, a fluminis Mefesippi in sinum Mexicanum sese exonerantis mira amplitudine celebratur. *Pentilimnis* regio quinque lacuum dicitur: incolas habet ferocii-

cissimos, Hurones & Hiroquos, qui tamen partim veræ fidei suscepitæ disciplina, partim Gallorum commercio sensim mansuescunt.

Florida, quam primi detexere Hispani, in plures divisa provincias, quibus præfunt indigenæ Reguli Caziques, tum Gallis tum Hispanis magna ex parte paret. *Virginia* nunc *nova Anglia* nomen suum ab Anglis sortita est, postquam Hollandos ex his terris expulere, qui novum illam *Belgium* prius dixerent. In octo eam provincias divisere Angli, quibus nomina indiderunt, ab Anglia Europæa ultra mare petita.

Canada seu *nova Franconia* a Francis diæta, qui eam an. 1604. incolere cœperunt, in Orientalem & Occidentalem se porrigit: Occidentalis nomen Canadæ retinuit, incognita tamen præter oras maritimæ a Navarchis detectas, quales sunt *nova Britannia*, *Eftotilandia*, *Corteral*, & *terra Labrado*. Orientalis non procul a magno flumine S. Laurentii ad mare Bo-reale 500. milliaria extenditur, nomenque novæ Franciæ sibi adsumpsit. Reliquæ regiones vicinæ Sudwallia, Nort-wallia, nova Dania, nomina duntaxat sunt terris inventis indita, licet nemo

eas occuparit, aut ad interiora penetra-
verit.

Inter insulas, quæ Meridionali Ameri-
cæ parti adjacent, quam plurimas præ
ceteris memorandæ veniunt *Cuba*, ubi
Havana urbs cum portu, in quem classis
Hispana divertit, reditura in Europam
cum divitiis Americæ: *Hispaniola*, sedes
Archiepiscopi, Pro-Regis, & Consilii Re-
gii: Insula *S. Joannis* de portu divite,
vulgo de puerto Ricco. *Jamaica*, quam
Angli ejectis Hispanis occuparunt. Insu-
lae *Caribum* admodum numerosæ: *Lucayæ*,
inter quas Cucapania, quam Columbus
primam detexit in America, & *S. Salva-
toris* nomine insignivit: *Bermudes* conge-
ries insularum in mari del Nort: *Terra
nova*, sinui *S. Laurentii* objecta, cuius
oram maritimam Galli, Angli, & Batavi
inhabitant, interiora vero indigenæ.

Jam vero *Australis America* omnis,
qua late patet, est cognita. Ab Isthmo
exiguo Panamensi, quo Americæ Boreali
copulatur, tota Oceano concluditur, &
fretu Magellanico a terra de Fuogo, & re-
liquis terris Australibus non cognitis di-
vorum patitur. Distribuitur autem uni-
versa in octo magnas regiones.

Harum prima est *Terra firma*, in qua præter alias, tres præcipue urbes primarium locum obtinent: Panama portu & & emporio celeberrimo insignis: Porto Bello seu portus pulcher duobus castris munitus: & Carthagena civitas totius Americae princeps, ubi classis Hispana ex Europa in hanc orbis partem transiens divertit.

Guiana vasta regio, duobus magnis flaviis de Paria & Amazonum conclusa, cuius pars maritima Europæis notior *Carabana* vocatur, ubi magnam Sacchari, Tabaci, Aloe & Balsami copiam terra subministrat.

Amazonum regio, cui nomen dedere Europæi, dum fœminas ibidem arcu & sagittis instructas Virorum turmis se immiscere conspexerunt.

Brasilia, dives auri argenteique, balsami, ambræ, ligni Brasili, & unionum, in quatuordecim præfecturas dividitur. Primus eam detexit Joan. Sosa, exstructaque urbe S. Salvatoris primum Christo, tum Regi Lusitaniae subjecit. Incolæ Anthropophagi, & ex hospitum occisorum carnis delicatam sibi mensam olim struxerunt.

Paraquaria ab ingenti flumine Paraquay, qui totam regionem interfluit, nomen suum accepit : hic vero argenteus sive Rio de Plata ab argenteis, quas volvit, arenis dicitur. Incolarum plurimi jam e sylvis & latebris ad vitæ societatem ineundam, & in stabiles sedes, quas *Reductiones* adpellant, a Societatis nostræ Viris Apostolicis traducti, Catholicæ fidei sacramentum dixerunt. Dividitur tota in amplas sex regiones.

Terra Magellanica, quam primus detexit Ferdinandus Magellanus an. 1520. Americæ Meridionalis extrema regio est, quæ quum neque auri nec argenti, aut alterius lucri spem præbeat, ab Europæis hodie penitus negligitur.

Regnum *Chile* Hispanicæ ditioni subiectum est. Terra mari proprietor auri totius Americæ optimi probatissimique dives est ; quæ vero ad montes recedit, sterilis incolas Arnucos alit, gentem indomitam, & inter quatuordecim Vulcanios seu montes ignovomos mapalia sua figentem : in tres sece provincias porrigit.

Regnum *Peru* seu *Peruvium* numero ultimum, sed dignitate primum, & Americæ universæ nobilissimum est ac ditissimum. Olim ei dominabantur Reges Incas dicti, quos Pizarus & Almagra Regum Hispaniæ Duces & Archithalassii armis obrutos extinxerunt, Hispaniæque ingentem terræ tractum subjecerunt. Tres provincias numerat ipsum regnum: Quitensem, Limanam, ubi thesaurus Hispaniæ, & Argentinam, ubi Potosium urbs, quæ montem auriferum, in quo viginti millia fosorum desudant, gremio suo fovet.

Insulæ Australis Americæ sunt frequentes, sed paucæ, quæ sua se magnitudine commendant: inter has celebriores notioresque sunt, quas *Salomonis* dicunt, quarum maxima *Isabelle*, ac insulæ *duodecim Apostolorum*.

Atque hæc est parva quædam idea, qua ratione orbis terrarum ducto ab ipsius humani generis Authoribus exordio sensim frequentari cœperit: qui primi facto inter gentes divertio mundi partes occuparint, regionibus ac populis nomina sua indulserint, & fœcunda posteritate in omnes denique mundi plagas se se diffuderint: porro qua temporum successio-

cessione, populorum migratione, bello.
rumque vicissitudine regna vetera destru.
cta, excitata nova, regionum limites vel
in angustias redacti vel amplificati fue.
rint, omnisque terrarum orbis novam
veluti faciem induerit, donec mirabili
multiplicique perfunctus metamorphosi in
eam, quam hodie obtinet, formam redi.
geretur; licet & hanc quamdiu conser.
vaturus sit, nemo sit, qui sciat, præter
eam, quæ cuncta gubernat, supremam
mentem, divinamque Providentiam.





CAPUT V.

ARCHITECTONICA
CIVILIS.

§. I.

Ejus Primordia.

XXXII.

Primas scientiæ hujus cunas investigare cui placet, is per tot retro secula usque ad ipsa mundi primordia lento quidem passu, celeri tamen cogitatione sese conferat oportet. Mundo enim nascente natam quoque esse Architecturam nemo facile inficias ibit. Primi equidem parentes nostri in paradyso tanquam amoenissimo omnium deliciarum theatro collocati, quum nec aeris injuriis, nec ullis tempestatum vicissitudinibus essent obnoxii, nec sanitatis lædendæ vitæque perdendæ periculis expositi, sed om-

omnibus ad vitam beate tranquilleque
ducendam abundarent præsidiis, tecto,
ædibus, & muris haud indigebant, fu-
turi semper sui suorumque securi: ipsum
enim tecti vices agebat cœlum; paradi-
sus sat ampla omnique ornamentorum ad-
paratu instructa domus erat, & vitæ in-
nocentia, hujusque comes individuus pax,
quæ vel inter bruta ratione carentia tum
florebat, munimenti fortissimi loco fuit.
Eadem sors posterorum fuisset, non secu-
to parentum lapsu, Verum ubi per pec-
catum brevi pessumdato primævæ inno-
centiæ statu e paradiſo ejecti, & fere
cunctis vitæ beatæ prærogativis exuti
fuerunt, e vestigio irati Numinis poenas,
tristisque exilii damna sensere, cœlo ter-
raque in humani generis perniciem vel-
ut conjurante. Hinc quum sub dio ha-
bitare miseri cogerentur, nec aeris in-
temperiem alternasque brumæ redeuntis
vices declinare, nec rupto pacis foedore
ab animalium ferarumque furore ac no-
cendi artibus defendere se satis posse in-
telligerent, naturæ ductu quodam & ne-
cessitate magistra rudi etiamnum ac ope-
re tumultuario tecta domosque cœperunt
ædificare. Sed ut natura, sic ars quo-
que a minimis initium dicit: primæ do-
mus, teste Ovidio, dum seculum argen-
teum

teum calamo depingit, antra potius & specus fuerunt :

*Tum primum subiere domos (domus
antra fuerunt)*

Dein alii ex frondibus congestis & in proclive dispositis tecta componere :

*Et densi frutices & junctæ cortice
virgæ.*

Alii speluncas sub montibus fodere, non nulli hirundinum nidos imitantes e luto & virgultis casas, in quibus habitarent, condere sunt visi. Ita factum, ut homines prompto ad nova semel inventis addenda ingenio gloriantes, atque alii aliis sua, quæ struebant tecta monstrantes, ædificandi studium sensim promoverint, dum furcis in terram aëlis, sursumque erectis, ac virgultis interpositis parietes texere, luteis glebis phœbi calore aresactis vestire, utque ab imbris & æstu se defendarent, tecta arundinibus vel fronde contegere, vel ex ulva palustri tuguria componere cœperunt : postea quoniam hiberna tempestate tecta non poterant nivem & deciduos imbres sustinere, fastigia facientes luto inducتو, proclinatisque tectis stillicidia deducebant. Atque ex his tenuibus initiis, quæ necessitas huma-

no generi statim ostendit, Architecturam fuisse profectam, ut cum Vitruvio Architectorum veterum principe loquar, (o) possumus sic animadvertere, quod ad hunc diem nationibus exteris ex his rebus aedificia construuntur. Nam quo artis pulchritudo (ut scite argumentatur celebris Vitruvii Scholasties Daniel Barbarus Patriarcha Aquileiensis) quo inquam pulchritudo & excellentia nondum pervenit, facile est, ut id, quod naturae est, retineatur; quod vero natura fit, uniusmodi fere semper ac simile cernitur. Profecto Ægyptii prisci domos ex arundinibus conficiebant, cujus rei vestigia penes gentis illius pastores permandere, nulla alia nisi ex calamis facta habitacula probantes teste *Diodoro*. (p) In Meroe solent ex palma aedes atque ex aliarum arborum ramis ac foliis conficere: in Africa pastorum domicilia sunt virgultis compacta, suspensis circa lentiscos; & ea quoquoeverius versatilia, ut *Herodotus* scribit. (q) Scythæ Nomades per agros dispersi carrucis, quoconque fors tulit, protecto & lare utuntur teste *Hipparcho*. Britanni & Suevi primitus in tiguriis una cum armentis habitarunt, uti tradit *Ale-*
xander

(o) Lib. 2. C. 1.

(p) Lib. I. C. 4.

(q) Lib. I. C. 4.

xander ab *Alexand.* (r) Gallis domicilia pluteis & cratibus intexere moris erat. *Aethiopes Ichtyophagi* versus Arctum siti ex costis ceterorum incurvis, quas mare frequentes egerit, ex utroque positis latere, colligatisque atque alga maris opertis habitationes sibi exstruunt ad evitandos aestus, natura sibi artem ad se tuendam reperiente, ut *Diodorus* ait. (s) *Celonophagi Africae* populi partim ex Alga partim ex testudinum testis domos adversus tempestates muniunt. *Alexander ibid.* Troglodytæ, Baleares, Ligures, & magna Indorum pars in subterraneis specubus aut saxis concavis ad corporum magnitudinem dimensis habitant cum conjugibus & liberis relicto superius ad auram & lucem captandam foramine. Romuli quoque regiam, dum describit Ovidius, (t) ita canit :

*Quæ fuerit nostri, si quæris, Regia
Nati,
Aspice, de canna straminibusque
domum.*

Quin si hodie per cultiores etiam regiones, Hispaniam, Galliam, Italiam, Germaniam-


(r) *Lib. 5. C. 25.* (s) *Lib. 3. C. 3.*

(t) *Faft. 3.*

maniamque iter instituas, occurrent in vi-
cis non paucæ Operum Colonorumque ca-
sæ , quarum parietes arborum ramis &
virgultis contextæ , lutoque compactæ ,
tecta vero stramine operta, ita ut ad hæc
usque secula primæ inter homines vigen-
tis Architecturæ vestigia quasi studio reli-
quisse natura videatur. Qua vero ratio-
ne ulterius progressa fuerit hac in arte ho-
minum industria, eleganter prodit Vitru-
vius hisce verbis : „ Quum autem quo-
„ tidie faciendo tritiores manus ad ædifi-
„ candum perfecissent, & solertia ingenia
„ exercendo per consuetudinem ad artes
„ pervenissent, tum etiam industria in
„ animis eorum adjecta perfecit, ut qui
„ fuerunt in iis studiosiores, fabros se pro-
„ fiterentur. Quum ergo hæc ita fuerint
„ primo constituta, & natura non solum
„ sensibus ornavisset gentes, quemadmo-
„ dum reliqua animalia, sed etiam cogi-
„ tationibus & consiliis armavisset men-
„ tes, & subjecisset cætera animalia sub
„ potestate, tum vero e fabricationi
„ bus ædificiorum gradatim progressi ad
„ cæteras artes & disciplinas a fera ag-
„ restique vita ad mansuetudinem per-
„ duxerunt humanitatem. Tum au-
„ tem instruentes animose , & prospic-
„ cientes majoribus cogitationibus ex-

„ varie-

„ varietate artium natis , non casas , sed
„ etiam domos fundatas ex lateritiis pa-
„ rietibus , aut e lapide structas , mate-
„ riaque & tegula tectas , perficere cœ-
„ perunt : deinde observationibus studio-
„ rum evagantibus judiciis , ex incertis
„ ad certas symmetriarum rationes pro-
„ duxerunt : posteaquam animadverterunt,
„ profusos esse partus & natura materiæ,
„ & abundantem copiam ad ædificationes
„ ab ea comparatam , tractando nutriven-
„ runt , & auctam per artes ornaverunt
„ voluptatibus ad elegantiam vitæ . „ Ita-
que ut aliæ omnes artes , ita & Archite-
ctura Civilis suas ætates habet : pueri-
tiam , adolescentiam , virilitatem quandam
ac maturitatem . Prima primis statim se-
culis rudimenta posuit : tum in Asia cre-
vit adolevitque , cui Græcia vires dedit :
Italia denique omnisque Europa dignita-
tem , amœnitatem , splendorem ac maje-
statem , quibus etiamnum dotibus gloria-
tur , conciliavit .



§. II.

Primi Architecti.

XXXIII.

Haec tenus Architecturæ prima veluti vestigia detexi : modo primorum quoque Architectorum genus & nomen prodere conabor. Initium a fabulis seu ab historiæ monumentis incertis ducere juvat, ut eo securius ad certiora pervenire liceat. Vesta Saturni ac Rheæ filia (si Poetis fidem adhibere fas est) prima invenisse Architectandi scientiam , ædiumque strukturam docuisse homines fertur. Unde devota superstitionibus antiquitas Deæ hujus effigiem vel penicillo vel scalpro elaboratam ubique intra domos collocare suevit, quo & eas servaret incolumes, & custos esset habitantium , ut Posidonius testatur. Historici vero , inter quos Plinius , (u) Doxum Gellii filium primum fuisse perhibent, qui domos luteas ædificavit, sumto ab hirundinum nidis exemplo : lateritias vero seu ex lateribus constructas Euryalum & Hyperbium fratres Athenis primum excitasle. Tegulas, quibus domus teguntur, Cinyram Agrippæ filium

(u) Lib. 7.

filium in Cypro insula, lapicidinas autem seu loca, ubi lapides effodiuntur ædium adhibendi structuris, Cadmum Thebis, vel ut Theophrasto placet, in Phœnicia invenisse memoriæ prodit Plinius supra memoratus. Tyrrheni domibus addiderunt porticus, uti narrat Diodorus (x) in quibus servorum ac concurrentium turba diverteret, quas immitati postmodum Romani, majoreque artificio elaboratas ad suam Rempublicam attulerunt. Porro ubi mortales ab initio conditis per rura casis, ut dictum est, paullatim inter se coeundo fera agrestique vita relicta ad mansuetiores sese mores composuere, tuncque primum vinculo quodam societas coaluerunt, oppidum, hoc est, locum muris munitum ædificavere, ut eo conferrent opes suas, ubi nullum esset ab hoste periculum; unde cives a coeundo vocati sunt, & ipsum oppidum civitas a civium cœtu: urbs autem ab urvo, seu parte aratri curva, quo Veteres sulcum ducebant, inter quem urbem posituri essent, quemadmodum fecisse Romulum hodie etiamnum tradunt, quando primam eamque exiguum adhuc Romam ducto circa forum, quod nunc Boarium dicunt,

Capi-

(x) *Lib. 5. C. 9.*

M 4

Capitolio adfitem sulco struxit. Ejusmodi oppidum, civitatem, aut si mavis, urbem primus omnium teste Plinio Cercops condidit, qui ante Deucalionis tempora vixit, Cecropiam dictam, quae deinde arx fuit Athenis: alii tamen Argos primam suisse urbem autumant, conditam a Pharonæo Rege, de qua Lucas (y)

*Ubi nobile quondam;
Nunc super Argos arant.*

Cætera rude ac inconcinnum opus fuere urbium exordia: neque enim initio muris munitæ aut propugnaculis cinctæ, sed uti Halicarnassus refert, aggeribus tantum & arborum truncis sive in altum erectis, sive inter se contextis & implicatis jungabantur. At opibus & artibus crescentibus muri circumduci, fossæ ac propugnacula excitari coeperunt, præsertim accedente hominum industria in urbibus occupandis expugnandisque. Sed ingeniöse non minus quam vere Plautus ait: (z)

*Si incolæ bene sint morati, pulchre
munitum arbitror.*

Perſa.

(y) *Lib. 6.* (z) *In Dram. Perſa,*

Persidia & peculatus ex urbe, & avaritia si exulant :

Quarta invidia : quinta ambitio, sexta obtrectatio :

Septima perjurium - - octava indulgentia :

Nona injuria : decimum quod pessimum aggressu scelus ,

Hæc nisi unde aberunt, centuplex murus rebus servandis parum est,

Delubra seu templa Diis sacra Epimenidem Cretensem primum struxisse auctor est Diogenes Laertius (a) At Vitruvius Pythium Architectum primum omnium Priene ædem Minervæ molitum fuisse tradit ; quamvis Herodotus (b) Ægyptios primos Diis delubra statuisse contendat.

Verum hucusque allata e dubiis tum fabulosi tum incerti temporis fontibus hausta esse fateri oportet. Certiora nobis deinceps suppeditabit S. Scriptura, Hæc (c) meminit de Caino Adami filio : *Ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui Henocb.* Rursum de

(a) *Lib. 1.*

(b) *Lib. 2.*

(c) *Genes. 4.*

de Jabel ex Lamech genito : *fuit pater*
 (id est inventor & auctor) *bibitantium*
in tentoriis atque pastorum. De Tubal-
 cain vero Jabelis fratre : *fuit malleator*
& faber in cuncta opera aeris & ferri.
 E quibus dubium vix esse potest, primum,
 qui primam in orbe civitatem nomine
 Henochiam condidit, fuisse Cain, quam
 & ipse habitavit, desitque jam esse pro-
 fugus a facie Dei sub vita sua finem.
 Nam, Josepho teste, non statim ac a Deo
 profugit, sed facile quadringentis aut
 quingentis annis post, quum jam filios &
 filias, Nepotes neptesque genuisset, qui
 Henochiam incolerent, eam condere ci-
 vitatem coepit, uti auctor est S. Augu-
 stinus. (d) Fuisse autem illam exstru-
 ctam circa Libanum montem, qui ad
 Orientem situs est, si regioni Damasce-
 næ comparetur, urbemque amplissimam
 & habitationem gigantum refert Bero-
 sus, & Ammianus. (e) Porro ex ejusdem
 S. Scripturæ verbis patet, uti Cainum ci-
 vitatis, & hominum in unum cœtum co-
 euntium, ita Jabelem Tentiorum seu
 casarum & domuum agrestium, queis
 utuntur pastores, ac hominum sparsim
 per rura privatas ædes incolentium au-
 storem

(d) *Lib. 15. de Civit. Cap. 8.*

(e) *In Lib. de Tempor.*

ctorem fuisse. Neque amplius duntaxat ex virgultis, luto aut stramine domos te-
cta que aliqua, ut mundi nascentis initio
factum est, male sarta composuisse ho-
mines, sed jam aliis quoque ad struendas
ædes prælidiis, &c. usos fuisse, ea quæ
de Tubalcain retulimns, S. Scripturæ ver-
ba indicant. Turrim vero, quæ ipsum
tangere cœlum videbatur, ut tradit Jo-
sephus, (f) in eo loco qui deinceps Ba-
bylon vocatus est, post diluvium Noe-
mi posteritas, rursus vim aquarum for-
midans, suadente Nembroth primum
construxit. Quare (verba sunt Polydori
Virgilii (g)) *Cecropiam, Argos, Diospo-*
lim urbes una cum turribus postea condi-
tas fuisse, jam meo judicio liquido constat.
Ad templa quod adtinet, quamvis plu-
res fuerint primis jam seculis, qui pro-
fanis fictisque numinibus delubra etiam
superba erexere, primus tamen omnium
Rex Salomon erat, qui vero ac omnipot-
enti Deo Hierosolymis Templum condi-
dit, quod Davidem illius Patrem ædifica-
re parantem Deus per Prophetam Na-
than propterea, quod manus hostium
sanguine pollutas haberet, ab opere pro-
hibuit, eique jussit, ut id Salomoni filio
struen-

(f) Lib. I. Antiq.

(g) Lib. I. de Invent. rer.



struendum relinquere; quod quidem templum cum miro opificum artificio, tum immensa auri copia, qua ornatum comparuit, omnium profecto operum, quæ tunc in orbe terrarum videre fuit, longe celeberrimum erat. Sed paullo majora canamus. Omnium quidem scientiarum artiumque primus auctor est Nomen Optimum Maximum, fons ille inexhaustus, unde per tenues veluti rivulos in humanas mentes diminant illæ, a portione licet non semper æqua dispensantur. Verum Architectura (quam Civilem adpellamus, ut a Militari discriminetur) de qua jam nunc agimus, singulari profecto gaudet prærogativa. Nam Deus ipse tanquam supremus omnium Architectus scientiam hanc nobilissimam docere homines, ipse præcepta & leges oretenus tradere, ipse artis hujus arcana pandere, ideas quam perfectissimas proponere, totamque scientiæ istius magnificentiam palam exhibere voluit. Ut nihil dicam de magni mundi ædificio seu Magacosmo, in quo omnia quantumvis diversa, & ut nobis videntur, contraria ordine pulcherrimo, in pondere & mensura constituit, absolutæ numeris omnibus fabricæ ideam in parvo mundo seu microcosmo, id est homine, licet intueri; quin Arcæ Noemicæ,

Taber-

Tabernaculi Mosaici, ac Templi Salomonis structuram (e qua omnis Græcorum Romanorumque Architectandi ratio defumta est) mensuram, proportionem, ordinem, symmetriam ac decorem, & quidquid est hujus artis, divino magisterio in acceptis referre debet Architectonica. Hæc omnia, unde fluxerunt reliqua, priusquam ad ipsa scientiæ hujus, ut hodie usuvenit, præcepta & leges gradum faciam, brevius quidem quam rei dignitas utilitasque videtur exigere, pro instituti mei ratione exponam.

§. III.

*Structura hominis fundamentum
Architecturæ.*

xxxiv.

Jam olim perspicacissimus hac in arte
Vitruvius agnovit, rectam symmetriæ
ac proportionis in ædium structura obser-
vandæ rationem a corpore humano pe-
tendam esse. Juvat audire ipsa tam præ-
stantis artificis verba : (h) „ ædium, ait,
„ compositio constat ex symmetria, cuius
„ rationem diligentissime Architecti tene-
„ re debent. Ea autem paritur a propor-
„ tio-

(h) Lib. 3, Cap. I.

„ tione, quæ græce Analogia dicitur. Pro
 „ portio est ratæ partis membrorum in
 „ omni opere, totiusque commodulatio,
 „ ex qua ratio efficitur symmetriarum.
 Est igitur ad mentem Vitruvii proportio
 quædam modulorum responsus seu mu-
 tuus consensus, quem & partes ad se in-
 vicem & ad totum opus relatæ solent
 habere: modulus vero est mensura prius
 assumta & nota (uti cubitus, quo par-
 num, cuius mensura adhuc ignota est,
 metimur) qua partium operis longitudo
 aut latitudo capit, profunditas aut al-
 titudo; atque ideo proportio in omnibus
 operibus nihil aliud est, quam modulo-
 rum ac mensurarum collocatio in eo, in
 quo vel partes inter se vel totum simul
 conveniunt: ex hac autem proportione
 oritur symmetria, quam alibi vocat com-
 mensum, seu mensurarum responsum. Per-
 git Vitruvius: „ Namque non potest
 „ ædes ulla sine symmetria atque propor-
 „ tione rationem habere compositionis,
 „ nisi ut ad hominis bene figurati mem-
 „ brorum habuerit exactam rationem.
 „ Corpus enim hominis ita natura com-
 „ posuit, ut os capitis a mento ad fron-
 „ tem summam & radices imas capilli
 „ esset decimæ partis. Item manus pal-
 „ ma ab articulo ad extremum medium
 „ digi-

„ digitum tantundem. Caput a mento ad
 „ summum verticem octavæ, tantundem
 „ a cervicibus imis. A summo pectore
 „ ad imas radices capillorum sextæ, ad
 „ summum verticem quartæ. Ipsius au-
 „ tem oris altitudinis tertia pars est ab
 „ ab imo mento ad imas nares. Nasus
 „ ab imis naribus ad finem medium su-
 „ perciliorum tantundem, ab eo fine ad
 „ imas radices capilli, ubi frons efficitur,
 „ item tertiae partis. Pes vero altitudi-
 „ tudinis corporis sextæ. Cubitus quar-
 „ tæ. Pectus item quartæ.... Reliqua
 „ quoque membra habent suos commen-
 „ sus proportionis, quibus etiam antiqui
 „ pictores & statuarii nobiles usi magnas
 „ & infinitas laudes sunt assecuti., At-
 que hos corporis humani commensus Vi-
 truvianos eleganter exhibit in Tabula nu-
 meris signata Daniel Barbarus ejusdem Vi-
 truvii celebris Scholia~~stes~~. (i)

Verum non modo partium mensuras
 ex humani corporis machina petere, sed
 etiam figurarum formas educere licet,
 easque perfectiores summeque in Archi-
 tectionica æstimatas, circuli nempe ac qua-
 drati. Hinc pergit Vitruvius cœpto in
 opere: „ Item corporis centrum medium
 „ natu-

(i) In Lib. 3. Vitruv.

„ naturaliter est umbilicus. Nam si ho-
 „ mo collocatus fuerit supinus manibus
 „ & pedibus pansis, circinique collocato
 „ centro in umbilico ejus, circumagendo
 „ rotundationem utrarumque manuum &
 „ pedum digiti linea tangentur. Non
 „ minus quemadmodum schema rotundi-
 „ tatis in corpore efficitur, ita & qua-
 „ drata designatio in eo invenitur. Nam
 „ si a pedibus imis ad summum caput
 „ mensum erit, eaque mensura relata fu-
 „ erit ad manus pansas, invenietur ea-
 „ rum latitudo, quemadmodum areæ, quæ
 „ ad normam sunt quadratae. „ Hanc
 ipsam circuli & quadrati figuram exhi-
 bet Barbarus. (k) Quin, quod plus est,
 ipsas ædificiorum contignationes quo al-
 tius ascendunt, eo minores contraciiores
 que in humani corporis statura observa-
 re, ex eaque proportionem petere licet,
 si ab imis pedibus ad ventrem, a ventre
 ad scapulas & collum, ab hoc usque
 ad capitinis verticem mensuram capiamus.
 Quapropter aptissime ratiocinatur idem
 Vitruvius, ostenditque a quo naturæ
 exemplo inensuræ desumptæ sint, nempe
digitus, palma, pes, cubitus, quas antiqui
 collegerunt e corporis humani membris,
 & in perfectum numerum, quem græci

(k) *Lot. cit.*

τέλειον dicunt, distribuerunt. Hoc freti non solum alias ædes, sed vel maxime magnifica & ornatissima extruxere tempa, eas adsumentes mensuras, quæ vivum Dei templum, quod est homo, metiri solent, in cuius compositione omnis reliquarum rerum admiratio continetur. Quis igitur est, qui non videat, quod prima fronte mirum videri poterat, scilicet æolutæ numeris omnibus fabricæ ideam in condendo homine Deum nobis proposuisse?

§. IV.

Arca Noemica profanarum ædium Idea.

XXXV.

Jam ante diluvii tempus casas, tentoria, ædes & urbem ædificasse primos hominum nuper ostendimus: verum rudia, inconcinna, maleque materiata sine lege ac symmetria hæc opera fuisse suadet experientia, quæ docet omnium scientiarum & artium principia fuisse imperfecta, valdeque tenuia. Primam itaque domum, quæ domuum idea merito dici potest, secundum mensuras perfectissimas, utpote a Deo ipso dictatas, a Noemo fuisse constructam fas

est asserere iustranti Caput sextum libri Genesis. Ejus schema his verbis veluti ante oculos Patriarchæ posuit Numen : *Fac tibi arcam de lignis lœvigatis, manſunculas in arca facies, & bitumine li- nies intrinsecus & extrinsecus.* Et sic fa- cies eam, trecentorum cubitorum erit lon- gitudo arcæ, quinquaginta cubitorum la- titudo, & triginta cubitorum altitudo il- lius. *Fenestram in arca facies, & in cu- bito consummabis summitatem ejus :* ostium autem arcæ pones in latere, deorsum cæna- cula & tristega facies in ea. Omnes heic Architecturæ dotes in arca velut in com- pendio conclusit Deus. Nam teste Vi- truvio (1) sex earum sunt, nimirum Or- dinatio, Dispositio, Eurithmia, Symmetria, Decor & Distributio.

Juvat ædificii hujus præclaram sane ideam, scilicet mensuram & formam di- stinctius exponere. Ad primum quod at- tinet, trecentorum cubitorum erat lon- gitudo, latitudo quinquaginta, triginta vero altitudo. Cubitus autem continet pedem cum dimidio, sive sex palmos. At- que ex hac cubitorum mensura, quæ in arcæ structura Dei jussu observata fuit, manifestum est, eandem interius 450000. cubi-

(1) Lib. 2. Cap. 2.

cubitorum fuisse capacem. Nam si secundum Geometriæ regulas 300. cubitos, quos complectebatur ejus longitudo, per 50. latitudinis multiplices, invenies cubitorum 15000 : hi si rursus multiplicentur per 30. cubitos altitudinis, 450. milia cubitorum solidorum prodibunt. Fateri tamen oportet, olim uti pedes hominum & palmos, ita & cubitos fuisse majores, quam modo sint. Ad formam quod spectat, variæ sunt de illa Interpretum opiniones. Aliter Origenes (m) Beda, Rupertus & Tostatus, aliter Hugo (n) aliter Cajetanus, aliter Lyranus sentiunt. Omnium verosimillimam Arcæ Noemicæ formam posteritati reliquit Johannes Buteo. (o) Tres hic statuit contignationes, sive tria tabulata, quod ipsum insinuare videtur S. Scriptura, dum dicit : *Deorsum cænacula, & tristega facies in ea.* Nempe deorsum, id est, tabulata infima : cænacula, id est, tabulata media ; in his enim fieri solent cænacula : & tristega, id est, tabulata tertia vel suprema. Conspirat in hanc sententiam Textus Hebraicus : *Inferiora, secunda & tertia facies*

(m) 2. *Homil. in Cap. 6. Genes.*

(n) *De morali Arca Cap. 3.*

(o) *Lib. de Arca Noe.*

cies in ea. His addi oportet quartam seu imam contignationem pro sentina, uti ratio & finis operis hujus aquis imponendi suadent. Jam vero infima in contignatione ista locus erat suburræ seu arenæ, quæ navi necessaria est, ut non fluctuet in hanc illamve partem, sed suo velut pondere librata in aquis recta incedat via: in hac quoque sentina fuit, quæ fordes e superioribus tabulatis per canales exciperet, postea per foricas seu foramina emittendas. In secunda contignatione sive tabulato erat locus omnium animalium tam reptilium quam gradientium in plurimas cellas (Delrio numerat trecentas) utraque ex parte distinctus, in quibus erant præsepio, aliaque vasa cibum & potum continentia: in hoc quoque tabulato erat ostium arcæ, idque magnum & amplum, utpote per quod elephantes, cameli, omnisque generis animalia fuerunt in eam introducta. Tertia contignatio distinguebatur in Apothecas annonam tam pro animalium quam pro hominum usu quotidiano complectentes. Heic quoque reposita fuit suppellex tam urbana quam rustica post diluvium usui futura. In Quartu & summo tabulato locus erat hominum & avium: primo igitur erat ibi cubiculum Noe & filiorum, distinctum a

gynæ.

gynæceo. (a mulieribus enim viros durante diluvio abstinuisse docent S. Ambrosius, Rabanus, S. Anselmus, Hieronymus & alii) huic lumen infundebat arcæ fenestra vitro pellucido, crystallo, vel ut textus Hebræus indicat, lapide speculari instructa: secundo erat culina cum camino & foco: tertio penus annonæ tam cibi quam potus. Ex alia parte fuerunt caveæ ac nidi singularum avium cum suo pabulo; scalæ quoque, per quas ex una in aliam contignationem via patebat: porro spiracula ad auram excipientiam renovandamque quasi totidem camini, qui usque ad arcæ summum tectum protendebantur. His omnibus denique tectum superimpositum, planum quidem, sed non nihil acclive, ita ut sensim ac lente ad altitudinem cubiti media sui parte assureret (& in cubito consummabis summittatem ejus) eo consilio, ut pluviam illapsam utrinque præcipitaret. Cæterum arcam non in morem navigii, (uti pictores imperiti exhibere solent) cuius carina arcuatur, sed in minorem cistæ undique clausæ & quadrangulæ, quæ inferius plana est & æqualis quaqua versum, superiorius vero modice in culmen, & quasi clivum exiguum assurgit, constructam fuisse D. Augustini testimonium & Hebrai-

cum, quod adhibet S. Scriptura verbum *Treba* tatis manifestum reddunt. Nimirum hæc arcæ forma Scripturæ sacræ verbis, ac rectæ rationi omnino respondere videtur. Igitur hæc prima, ut initio dixi, ædificandarum ædium profanarum idea est, (infimam si excipias partem sentinæ destinatam, cui fundamenta domus, substructasque in illis cellas pro vino & aliis utensilibus substituere licebit) cuius mensuram ac dispositionem, totamque ædificii rationem supremus ille rerum omnium Architectus subministravit.

§. V.

Tabernaculum Mosis, ac Templum Salomonis sacrarum Ædium idea.

XXXVI.

Modo ad Ædium sacrarum seu Mosai ci Tabernaculi ac Templi Salomo nici fabricas oculos convertamus. Hæ rursus alium auctorem & Architectum non agnoscunt præter ipsum Deum, qui Tabernaculi mensuram & ornamentum omne disertis verbis Mosi dictavit: *In spice & fac secundum exemplum, quod tibi in monte monstratum est.* (p) Salomo nem

(p) *Exodi Cap. 25. v. 40.*

nem vero ea sapientia scientiaque divinitus instruxit, quæ ad operis tam magnifici, nempe Templi structuram necessaria fuit & conveniens, cujusque ideam velut digitis suis descriptam Davidi, & per hunc filio ejus Salomoni exhibuisse merito censetur: (q) *Omnia*, inquit David, *venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris.* Sunt autem in tabernaculo Mosaico præ reliquis duæ partes ædificii hujus consideratione dignæ. Prima est atrium, cuius longitudo tum meridiem tum septentrionem versus centum cubitos: latitudo autem tam quæ occidentem, quam quæ orientem respiciebat, cubitos quinquaginta, altitudo quinque complectebatur. Cingebant illud columnæ sexaginta ex ære conflatæ, viginti a latere meridiano, totidem ab aquilonari, decem ab occidente, totque ab oriente, ita ut quinque cubitis una distaret ab altera. Ex his pendebant tentoria seu vela byssina, quæ parietum instar atrium circumabant, quod quadrata vel potius quadrangulari figura præditum ea ratione collocabatur, ut omni ex parte ambiret Taberna-

(q) *Lib. 2. & 3. Reg. Item Paralipom. I.
Cap. 28. v. 19.*

bernaculum, seu magnificam Numinis vota Hebræorum excipientis habitationem, ac gloriæ Dei sedem regiam. Porro ea quæ orientem versus se porrigebat, atrii pars quinquaginta cubitos lata per columnas & vela sic distributa fuit, ut viginti mediis cubitis ingressus per atrium ad Tabernaculum pateret, reliqui vero triginta cubiti utrinque ita dividerentur, ut quindecim ad Austrum, totidem ad Aquilonem cum tribus ex utraque parte columnis fuerint relicti. Aditus ipse, ac velut atrii porta magnificentior erat, viginti cubitorum & quatuor columnis distincta, inter quas tres viæ interceptæ, quæ remoto velo, quod ex hyacintho & purpura, coccoque bis tincto, & byssῳ splendebat, populum ad interiora hujus atrii admittebant. In his ara holocaustis destinata, & labrum, ut S. Scriptura vocat, æneum Sacerdotibus lavandis idoneum fuere collocata: Ara cubitos quinque longa, totidem lata, tres alta, ut Sacerdotes facile ad illam pertingere possent, ex lignis setim composita, quovis die matutinis ac vespertinis victimis frequens erat.

Altera ædificii hujus Mosaici pars fuit Tabernaculum, quod testibus Philone,

Abu-

Abulensi, Cornelio a Lapide, aliisque spatio æquali viginti cubitorum a tribus atrii partibus distabat, videlicet a duobus ejus lateribus, & a tergo, ita ut atrium tabernaculo antepositum quinquaginta, ipsum tabernaculum triginta, reliquum usque ad latus occidentale atrii spatium viginti cubitos complectetur, qui omnes in unum conjecti summam centum cubitorum conficiunt, seu totam atrii longitudinem. Hic situs erat tabernaculi, quod triginta longitudine, decem latitudine, altitudine rursus decem cubitos æquabat. In duas divisum fuit partes, scilicet in *Sanctum* viginti cubitos longum, & in *Sanctum* *Sanctorum* (ut loquitur S. Scriptura) quod reliquos decem cubitos tabernaculi, qua longum erat, continebat: ex quibus patet *Sanctum* quadranguli, *Sanctum* vero *Sanctorum* quadrati formam obtinuisse. Tabernaculum hoc e tabulis lignorum setim inauratis viginti ad Meridiem, ac totidem ad Septentrionem in longum protractis compactum fuit: ad Occidentem vero (quæ pars erat latitudinis utramque connectens partem longitudinalis, meridionalem scilicet ac septentrionalem) octo numerabat tabulas: ad orientem vero quinque columnis ligneis pariter auro obductis, quæ velo tegebantur,

tur, distinctum erat, quo sublato ingressus patebat. Hæc facies Tabernaculi; quæ vero in eo continebantur, in primis media stabat in Sancto ara thymiamatis uno lata & longa, duobus cubitis alta, auro mundissimo vestita. Ad latus dextrum collocatum erat candelabrum ductile ex auro purissimo, hastili, calamis, sphærulis, liliis, ac septem lucernis noctu duntaxat splendentibus instructum. Ad sinistrum posita conspiciebatur mensa eodem ex ligno & auro constructa, cuius longitudo duorum, latitudo unius, altitudo cubiti & semissis, in qua *Panes propositionis*, ut appellantur, sex utrinque magnis crateris seu cyathis tectos collocare oportuit, numero duodecim tribubus Israel respondente. In Sancto Sanctorum, quod sanctissima pars Tabernaculi fuit, & per velum opere plumato & variegato distinctum a Sancto separabatur, Arca Testimonii quievit, e ligno settim fabricata, auroque probatissimo foris ac intus vestita, cuius longitudo duos & semis, latitudo & altitudo unum & semis cubitum complectebatur, cingebaturque corona seu limbo aureo: finu suo conclusit tabulas Legis a Deo Mosi traditas, positis ante eas urna cum Manna & virga Aaronis, quæ fronduerat. Operie-

riebatur a *Propitiatorio* seu tegmine ejusdem cum arca longitudinis ac latitudinis, quod alis suis obumbrabant duo Cherubin aurei, versis in se mutuo vultibus respicientes, & e quo divina fundebantur oracula. Porro Sanctum quotidie Sacerdotes ingrediebantur, ut adolerent thymiamata, vespere ut accenderent lucernas, & mane, ut extinguerent: in Sanctum vero Sanctotum soli Pontifici, atque huic semel in anno duntaxat, nempe in *Expiationis* festa die (r) introire licuit. Idea hæc prima fuit Architecturæ sacræ, qua Deus ipse homines docuit tum quæ in templis ædificandis mensura adhibenda, longitudinis fere duplo aut triplo majoris, quam esset latitudo par altitudini: tum quis ordo in disponendis templi partibus observandus, tum quis per columnas, vela, vasaque sacra ornatus & decor loco tam sancto concilian-
dus foret. Et re ipsa in antiquioribus quibusdam Basilicis, præcipue Monasteriorum Ecclesiis, observare licet etiamnum, eas ita constructas fuisse, ut pri-
mum ingredienti populo ingens pateret area, velut atrium ad victimas seu preces Numini offerendas: tum spatiū ar-
ctius nonnihil coiret (chorum adpel-
lant)

(r) *Levit.* 16.

lant) muro aut pariete velis conte-
cto ab area distinctum, in quo porta
grandior, per quam prospectus pateret,
in locum sanctum, in quo ad mensam & sub-
sellia Sacerdotes aut Monachi horas Cano-
nicas quasi thymiamata sua funderent;
demum Ara clathris a Choro divisa, di-
spositis hinc inde candelabris, emineret,
tum ad sacram Dō hostiam offerendam,
tum ad SS. Christi corpus, vivam illam
Dei arcam, in Tabernaculo velut Sancto
Sanctorum adservandum.

XXXVII.

Verum Mosaicum hoc Tabernaculum
umbra duntaxat fuit Templi, quod pri-
mum Vero Numini ejusdem jussu & de-
signatione Salomon Rex immensis sumti-
bus struxit, pretio & magnificentia me-
rito cunctis anteferendum. Idea Tem-
pli Salomonici Tabernaculo Mosaico erat
quam simillima, hoc tamen discrimine,
quod istud velut Templum mobile He-
braeorum per deserta loca peregrinan-
tium, illud vero quasi Tabernaculum fi-
xum & stabile fuerit eorundem quiete
habitantium. Cætera uti Numen ipsum
ideam Tabernaculi Mosī subministravit,
(s) ita & ideam templi fabricandi idem
Nu-

(s) *Exodi 29. & seq.*

Numen Davidi obtulit, ut eam Salomo-
ni filio exhiberet. (t) Itaque Templi
æque ac Tabernaculi totum ædificium
duas complectebatur partes, unam exte-
riorem, quod Sanctum, aliam interio-
rem, quod Sanctum Sanctorum nuncupa-
batur, adjecto ante Sanctum dupli atrio,
quorum prius Sacerdotibus holocausta of-
ferentibus, alterum remotius populo sa-
crificia spectanti cessit. Templi fabrica
hæc erat: Longitudo ejus sexaginta cu-
bitos, viginti latitudo, altitudo triginta
occupabat, uti liber tertius Regum (u)
testatur. Verum quum in libro secundo
Paralipomenon dicatur: *Porro altitudo
centum viginti cubitorum erat*, cum Ri-
bera, Vilalpando, Cornelio a Lapide, ali-
isque S. Scripturæ interpretibus afferen-
dum esse videtur, altitudinem templi ad
primam usque contignationem seu Tabu-
latum primum triginta, usque ad sum-
mam vero contignationem seu tectum
summum & pinnaculum centum &
viginti cubitos æquasse. Fronti ipsius tem-
pli porticus objecta fuit, longa decem,
lata viginti cubitos: vestibulum hoc erat
templi tum ad magnificentiam & elegan-
tiam, tum ad usum Sancto, id est, parti
ex-

(t) x. Paralip. 28.

(u) 3. Reg. C. 6. & 2. Paral. C. 3.

exteriori additum. In eo erectæ stabant columnæ duæ basi ac capitellis, quæ malogranata, lilia & reticulæ ornabant, instructæ, quarum quævis octodecim, utraque simul triginta sex cubitos altitudine sua continebat, si plinthum seu imam basis partem computare liceat, medium utrinque cubitum æquantem: peripheria vero, seu linea & filum, ut vocant Architecti (filiò enim mensurare solemus corporum solidorum ambitum) duodecim cubitorum erat. Uni harum nomen *Jacbin*, quod recti normam seu *rectitudinem*, alteri *Booz*, quod fortitudinem in lingua Hebraica notat, impositum fuit. Tota moles utriusque columnæ ex ære fusæ, auroque vestita, si Vilalpando fides habeatur, decem talentorum miltia pondere suo conficiebat. Fenestræ templi obliquæ seu latiores intrinsecus, extrinsecus angustiores, ut plus luminis immitterent, eam, ubi Sanctum, ædificii partem ex utroque latere occupabant. Sanctum enim Sanctorum fenestræ carebat, ut ipsa caligo majorem loco reverentiam conciliaret, quamvis per ostium lux modica penetraret: parietes templi tria per gyrum tabulata Meridiem, Aquilonem, & Occidentem versus ambiebant, quorum infimum quinque, medium sex, supremum septem

septem cubitos latum erat, trabium capitibus ultra parietes, quibus incumbabant, prominentibus. Triplex heic cellarum ordo partim Sacerdotum usui, partim custodiendis templi thesauris destinatarum. Ad has per cochleam unam vel duas ex utraque parte ascensus patuit. Templi primam aream exornabant candelabra, ex uno quinque, totidem ex altero latere collocata: mensæ quoque decem ad reponendos *Propositionis* panes dupli ordine dispositæ: Ara thymiamatis inter utrumque parietem stabat media. Jam vero ea pars templi, quæ Sanctum Sanctorum seu Oraculum dicebatur, viginti cubitos longa, lata simul & alta fuit: accessum ad eam præbebant fores satis amplæ, semperque patentes, quamvis nulli quam summo Sacerdoti liceret ingredi, duobus ostiis seu valvis instructæ. In ipso autem hoc loco sanctissimo quievit Arca, abstantibus proxime ad latera geminis Cherubinis decem cubitos altis, qui per totum qua late patuit Oraculum alas suas expandebant, velut semper expediti Numinis ad homines nuncii. Omnia hæc partim ex cedro, partim ex auro mundissimo fuere confecta, ita ut tam pretio quam amplitudine ac maiestate sua longissimo inter-

tervallo vincerent Tabernaculum Mo-
saicum.

Atria quoque templi multo majora erant, quam Tabernaculi. Amplissimas dixeris areas partim sub dio apertas, partim porticibus ad latera coniectas (unde & porticus nominantur) ut tempore pluvio ad eas velut in asylum se recipere posset populus. Duplex autem erat atrium, interius scilicet Sancto Sanctorum vicinum pro Sacerdotibus, & exterius pro populo, muro tres cubitos alto, ac triplici lapidum politorum, unoque lignorum cedrinorum ordine constructo a priori distinctum: utrumque sub dio fuit, ut pote tam amplum, ut tegi nequiret; plura enim stadia ambitu suo complexum fuisse oportet, ut tantam Sacerdotum ac populi multitudinem caperet. In interiore atrio ex utraque parte versus patietes decem *Luteres* stabant, quæ grandes conchæ seu labra & pelves fuerunt, in quibus Sacerdotes victimas jam pellibus orbatas, carnesque illarum dissectas lavabant, ut sic lotæ ac mundæ holocaustorum aræ imponerentur. Luteres inter has eminebat vas prægrande, quod mare Æneum S. Scriptura vocat ob ingentem aquarum, quas capiebat vim
(nem-

(nempe ut Cornel. a Lapide contendit, aquæ libras centum & sexaginta millia) eo fine, ut Sacerdotes manus ac pedes, quoniam nudis pedibus ministeria in templo exercere debebant, aqua inde profluente abluerent. Diameter vasis hujus decem cubitorum fuit a labio usque ad labium, seu ab una peripheriæ extrema parte ad alteram ei oppositam: altitudine vero quinque cubitos æquabat. Hoc sustentabant duodecim boves ex ære fabrefacti, facie ad quatuor mundi plagas conversa. Medium interioris atrii occupavit ara holocausti, longe major illa, quam struxit Moses; nam viginti cubitos longa, totidem lata, decemque alta fuerat. Exterius atrium, quod Basilica quoque ac Porticus Salomonis a S. Scriptura vocatur, populi ut dictum est ad sacrificia confluentis usui destinatum erat, ultra quod progredi ad interiora eidem non licuit. Quatuor magnificis portis quatuor mundi plagas respicientibus distinguebatur, quarum Meridionalis & Occidentalis plebi, Orientalis vero soli patetebat Principi. Hoc in atrio suggestus stabat ex ære fusus, tres cubitos altus, quinque longus & latus, in quo Salomon preces fundebat, toti populo conspicuus. Qui plura de adparatu & sum-

tibus, de ornamentis & vasorum sacrorum ingenti suppellectile, atque auri, argenti, pretiosorum lapidum lignorumque copia, totaque templi hujus magnificencia desiderat, adeat Vilalpandum ex Soc. JEsu, expertissimum & sapientissimum Architectum, qui testatur, (x) Templum hoc Salomonicum omnia septem mundi miracula simul velut sinu suo conclusse.

§. VI.

Architecturæ propagatio apud varias nationes.

XXXVIII.

Nunc qua ratione nobilissima hæc scientia ad nostra usque tempora felici successu propagata fuerit, operæ pretium est monstrare. Præcipuus, cuius arte, scientia, & sapientia in ædificando templo usus est Rex Salomon, fuit Hiram Tyro oriundus, ut sacræ testantur Literæ. Hic perducta ad finem fabrica præmiis & gloria onustus ubi domum rediit, multa eaque insignia, quæ Hierosolymis ipso experimento doctus est, artis sue specimina dedit, ædesque privatas & publi-

(x) *Part. 2. de apparat. Temp. Salom.*

blicas, tam profanas quam sacras complures in urbe Tyro struxit, incolis ob mercaturam quam exercebant, opulentissimis sumtus liberalissima manu subministrantibus. Conspectis autem Tyriorum tam magnificis ædibus & templis vicini Ægyptii primum in admirationem rapti, tum ad imitationem quoque rei tam præclaræ excitati non minorem Architecturæ habuerunt honorem, quam sumtus immenses in eam profuderunt. Testantur hoc amplissima & superba, quæ condiderunt, triclinia a Vitruvio (y) descripta, ingentesque mausoleorum, pyramidum & obeliscorum moles ad nubes usque eductæ, ac omnis pulchritudinis genere exornata. In Ægyptum tanquam scholam sapientiæ quum e Græcia plurimi tunc temporis proficerentur, scientiæ quoque hujus amorem ac peritiam domum retulerunt, ac partim alienis adjuti subsidiis, partim proprii ingenii prosperis conatibus eo rem perduxerunt, ut celebres illos tres Architectonicæ ordines, Tuscanum, Doricum & Jonicum invenerint, parem quoque de quarto seu Corinthiano gloriam sibi vendicantes, quem tamen ab Ægyptiis inventum mutuarunt Græci.

Ro-

(y) *Lib. 6. Cap. 5.*

Romani denique armis & arte Græciam vincentes Urbem tot superbis & sumptuosis ædibus, arcubus triumphalibus, amphitheatris, thermis & templis exornarunt, ut merito magnum illud Africæ lumen Augustinus inter alia Romam in splendore suo triumphantem videre desideravit. Certe Virgilius ævo suo trecenta numerat magnifica Deorum delubra, ad omnes artis regulas ædificata. Et quis dignis extollat laudibus Quiritum fora, porticus, circos, naumachias, hippodromos, palatia, curias, statuasque & columnas, quorum omnium superbiam, pretium, & artem etiamnum quæ supersunt subducta ruinæ rudera loquuntur? Magnarum rerum harum adparatum & architecturæ monumenta ex Occidente in Orientem, & ex antiqua in novam Romanam, nempe Byzantium seu Constantinopolin secum transtulit Constantinus M. atque hac ratione Græci rursus ad pristinum Architectonicæ studium & cultum rediere, quamvis brevi artis hujus splendorem ac majestatem ornatu nimio & prope muliebri corruperint & obscurarint. Romanæ quoque Architecturæ decus labem maximam passum est, quum barborum fcex immensa e terris Aquilonaribus in Italiam effusa moribus & furore cuncta de-

devastavit, non solum in homines, sed etiam in saxa & muros s^evire assueta, ita ut antiqua Romae gloria cum nova in cineribus suis sepulta jaceret: quare centenis aliquot annis nonnisi rudera & lapidum acervos ædificiorum loco videre fuit. Evidem Gothorum gens, ut resarciret damna illata, ædes maximas & templa struere cœpit, sed plus mole sua opereque cancellato, quam arte commendanda. Tandem barbarie depulsa senerior dies & moribus hominum & artibus affulsit, quæ phœnicis instar e cineribus prodierunt. Nam ex effosis e terra statuarum, columnarum, tabulatorum, cymatiorumque reliquiis accedente hominum sagaci industria & ingenio ad imitandum prompto Architectura rursus caput extulit, & in pristinum splendorem ac dignitatem restituta fuit. Illud nihilo minus fateri oportet, vetustiore ævo paucos quidem fuisse Architectos insignes, paucioraque artis hujus præclara monumenta, quum modo his & illis abundare videatur Europa; attamen priscorum ædificia & sumtibus in struendo, & industria in elaborando, arteque in perficiendo nostris præhabenda esse non pauci iique satiæ æqui rerum æstimatores contendunt, quum ævo isthoc major ornamentorum

& elegantiæ, quam majestatis ac symmetriæ ratio habeatur.

Sed ad insignes Architectos posterioribus seculis prodendos transire juvat. Ex omnibus libris tam Græcorum quam Latinorum antiquorum, qui de nobilissima hac scientia tum ante tum post Vitruvium scripsere, tempus edax absuntis reliquis illud duntaxat cedro dignissimum opus posteritati reliquit, quod idem M. Vitruvius Pollio in decem libros distinctum optimo Principi Augusto Cæsari dicavit. Omne heic architectandi studium exhausisse videri potest, dignissimus ut a præclaris viris Daniele Barbaro Patriarcha Aquileiensi, Guilielmo Philando Gallo, & Gualtero Rivio Germano notis illustraretur. Post longum temporis intervallum Leo Baptista Albertus nobilis Florentinus sui seculi Vitruvius ob artis præstantiam dictus est: Sebastianus Serlius quoque nominis sui famam arte sua longe lateque diffudit editis in lucem libris quinque, unoque posthumo. Hic libro tertio Vitruvium quidem in arte Magistrum veneratur; quinque ordines Architectonicos tamen ex illius libris non omnino addisci posse contendit: certe Romanus Ordo a Vitruvio doceri haud potuit, utpote cuius initia solum illius ævo

fue-

fuere posita. Serlio huic post ejus fata Palladius Vincentius peritorum judicio palmam in architectandi scientia præripuit, quam vivo auferre nequit, quatuor libris Italico idiomate conscriptis ac typo vulgatis clarus, in quibus memoratos quinque ordines, quod præcipuum artis hujus negotium est, solus labore numeris omnibus absoluto palam fecit. Jacobus quoque Barroccus, vulgo Vignola, singulariter meritus est laudem, dum artem hanc plurimis expedivit difficultatibus, planaque quam in doctrina sua observat, methodo facilem reddidit, præsertim typis. Ut silentio præterea Labacum, Cataneum, Violam, Angelum, Böcklerum, Berninum, Buonarotam, Fontanam, Martinum Longum, Carolum Madernum, Borrominium, aliosque præstantes Viros, de architectura ævi nostri omnino præclare meriti sunt ante alios Bramantes, qui novæ Architecturæ inventor jure adpellatur, tum Scamozzius Vincen-
tinus, & Nicolaus Goldmannus Vratisla-
viensis, ille in idea Architecturæ, hic in
manuductione perfecta ad Architectoni-
cam Civilem, cuius utriusque opus in
plures distinctum libros merito omnibus
in pretio est, tum ob ordinem, quem in
docendo, tum ob facilitatem, quam in

exeundo, tum ob artem, quam in perficiendo ubique observant. Omne autem punctum tulisse visus est, ad theoriam quod adtinet, Joannes Baptista Vilalpanodus S. J. Cordubensis, in Templo Salomonico, quod tribus tomis in lucem editis detexit & illustravit. Tantum Vir hic orbi notissimus in illis architectandi ingenium prodidit, ut Goldmannus plus scientiae hoc ex fonte, quam ex omnium Architectorum simul junctorum lucubrationibus hausisse se ingenue fassus sit, eodemque teste Vilalpandus par sit, qui vel ipsos in arte magistros docere possit, ac inter discipulos numerare.

§. VII.

Præclara Architecturæ opera.

XXXIX.

Uti vero parentum gloria sunt filii, si quam proxime ad eorum indolem & mores accedant, nec ab illis degenerent, ita sapientum Architectorum honos maximus, si post se relinquant opera magnis ac præclaris, quæ formarunt, ideis quam simillima. Horum tanta fuit tum post inventam, tum post restauratam hanc scientiam copia, estque etiamnum in di-

ver-

versis orbis terrarum partibus, ut nec oculi lustrandis, nec calami describendis, nec penicilli depingendis sufficiant. Pauca ex his, præstantioraque hoc in loco enumerare juvat eo ordine, qui ad nobilissimæ hujus artis progressionem per plura secula detegendam illustrandamque aptissimus esse videbitur. Taceo antiqua nimis, & suismet sepulta ruinis ædificia, Nini Assyriorum Regis urbem cognominem, Semiramidis Babylonem, Vechorei Ægypti Regis Memphis, Nabuchodonoforis delubrum Belo dicatum, Chersiphrontis Gnossii Architecti & Artemidori Cheremocratis sacrum Ephesinæ Dianæ templum, Dædali Labyrinthum Cretensem, pontem a Xerxe ac Dario impositum Bosphoro, Ægyptiorum Regum obeliscos & pyramides, Artemisiæ Reginæ Mausoleum, Hortos pensiles, Colossum Rhodium; taceo inquam hæc exesa a vetustate monumenta, de quibus nil nisi nomina superfunt: Profecto Augustus Cæsar morti proximus hanc sibi gloriam vendicavit, quod Romam lateritiam invenierit, reliquerit marmoream. Teste Suetonio Princeps hic plurima struxit opera publica, e quibus præcipua Forum cum delubro Martis Ultoris, Templum Apollinis in Palatio, ædes Tonantis in Ca-

pitolio, Porticus Basilicaque Lucii & Caji, item Porticus Liviæ & Octaviæ, theatrumque Marcelli. Cæteros quoque principes Viros sæpe hortatus est, ut pro facultatibus quisque suis Urbem monumentis vel refectis vel recens exstructis ornarent. Neque segnius Augusti vestigiis insititere Imperatores reliqui, ita ut ævo illo Architectura majestate ac soliditate sua plurimum sese commendaret, id quod Romanarum rerum peritos multæ docent reliquiae ex Aquis Claudiis, & Anienis novis ductibus inchoatis a Caligula, a Claudio absolutis, e theatro Marcelli in Sabellorum palatio, ex Amphitheatro, vulgo *Colosseum*, & Templo Pacis a Vespasiano condito. Trajanus quoque Urbem plurimis & pulcherrimis ædificijs ornavit, quæ artem & magnificentiam vel e ruinis ostentant: pontem etiam Danubio imposuit Architecto usus Apollodoro. Superba moles, quam Hadriani sepulchro superstruxit Antoninus Pius, columnæ, quas erexerunt Trajanus & Antoninus memoratus, varii arcus triumphales, artis tum vigentis excellentiam abunde demonstrant. Thermæ Antonini Caracallæ ac Diocletiani gloriam florentis architecturæ, Gallieni vero circus extra portam Campanam labentis infelicitatæ.

tatem docent. Sed Romæ veteris magnificantiam ex Occidente in Orientem, novamque Romam suam transtulisse vi-sus est Constantinus M. ædificata urbe amplissima, ædibusque templis, foris, fontibus, porticibus, aliisque publicis operibus ornatissima Bizantio seu Constanti-nopoli. Tum quoque magnifica surrexe-re templo: nam eversis devictisque ty-rannis, quum Imperator hic non solum Christianam Religionem moribus profite-retur, sed & auctoritate sua tueretur, Christiani quorum prius paupertas & ob-scura conditio nonnisi humiles admitte-bat ecclesias, immeasi operis moles, di-gnaque Numine suo templo struere cœ-perunt: testis est Basilica Lateranensis in monte Cœlio, Vaticana vetus Principi Apostolorum sacra, & S. Pauli, quæ in via Ostiensi occurrit, &c. Nihilominus ædificia illius ævi auro opulenta fuisse, minus tamen firma testatur D. Hieronymus. Quapropter ad nostra ut plurimum per-venire non potuerunt tempora: agnoscun-tur tamen tum in Basilica Liberiana & Sessoriana, tum in templo SS. Joannis & Pauli quædam antiquitatis vestigia. Idem fuit fatum magnificorum, quæ Theodori-cus Astrogothorum Rex struxit operum, quæ antiqua ædificiorum miracula supe-rasse

rasse tradit Cassiodorus: nam perennare non poterant, quum Architectura a Gothis inventa veterem mole quidem vinceret, soliditate tamen & elegantia longe illa fuerit inferior. Laterum enim officinis barborum furore abolitis plerumque tophi, silices & marmorum crustæ in ædium structuris adhiberi tum temporis solebant.

Tandem Carolo M. regnante caput iterum e dirutis molibus tollere visa est, ac reflorescere Architectura, eumque tenere modum ædificandi, quem Gallieno imperante usurparunt Architecti. Præ cæteris magnificæ Templorum structuræ intenti Pontifices Summi, Leo III. e fundamentis instauravit Ecclesiam SS. Vincentii & Anastasii ad aquas Salviæ. Supereft quoque ejusdem opus superbum, scilicet arcus ingens in æde S. Pauli, amplis innixus columnis: Leo IV. præter facellum S. Zenobi sacrum turrim in Vaticano, ut vocant, apud S. Petrum exstruxit, illudque muris cinctum in civitatis formam rededit, cui nomen suum indulxit, ac Leoninam adpellari voluit: Pius II. ædificandi studio vehementer delectatus scalas ad Vaticanum vetustate collapsas restauravit, vestibulum ædium ad digni-

gnitatem & loci tutelam adjecit; aream
præ templi foribus sternere coepit, suis
prius purgatam ruderibus; Tiburi quo-
que arcem antea refecisse quam inchoa-
se visus est. His præclaris Pontificum
exemplis aliæ quoque nationes ad æmu-
lationem excitatae, Gallia, Hispania, An-
glia, Belgium, præsertim vero Germania
pluribus in provinciis vastissima templa
maximis temporum ac sumtuum impen-
sis erexere, mole sua non minus spectan-
da quam arte, licet nondum ad perfe-
ctionis apicem perducta.

XL.

Successit auspicatus Architecturæ se-
culum decimum quartum, ubi post Pon-
tificum in urbem redditum ædes plerum-
que informes, quales adhuc nonnullæ spe-
ctantur, ex veterum ædificiorum fragmen-
tis excitatae fuerunt, collectis undique va-
sis, urnis, cælati operis tabulis, columnis,
(inter quas eminent Trajana & Antoni-
na) statuis, omniisque antiquitatis supel-
lectile, prius hinc inde dispersa, quæ cun-
cta magna industria, majoreque ingenio
tum publicis tum privatis, sacris profa-
nisque locis aptata ingentem subito splen-
dorem Urbi conciliarunt; Sixtus IV. in-
signe monumentum post se reliquit pon-
tem

tem lapideum Tiberi impositum; Tempa quædam nova ædificavit, vetera restauravit, nullisque in exornanda urbe sumtibus pepercit, ut urbis alter Romulus teste Platina dici jure posset. His quoque temporibus Veneti insignem Constantinopoli Architectum accersiverant ad exstruendam celeberrimam ædem D. Marco sacram, marmore, picturis, columnis & opere Mosaico dictissimam, in cuius vestibulo statua cernitur Architecti honoribus posita: supra propylæum vero quatuor equi ære fusi auroque fulgentes eminent, huc Roma ut ajunt translati, ubi olim a Senatu Romano triumphali Neronis arcui ad trahendum solis currum fuere impositi. Non minus in Escurali, quod vocant Hispani, Philippus II. famosissimum S. Laurentii cœnobium perittissimis undique Magistris in arte convocatis condidit, munificentia ac potentia regiae monumentum æternum: amplis viginti & duobus foris, undecim fenestrarum ac quatuordecim januarum millibus, turri novendecim campanis ad Musicæ regulas consonantibus instructa conspicuum fuisse fertur; magnam tamen anno 1671. cladem a Vulcani furore per dies septem grassante passum est. Porro Architecturæ studium in Sixto V. plurimum

mum enituit, utpote qui paucis annis, quibus Summi Pontificis munus obiit, Romam variis ædificiis exornavit, & collapsa omnia restauravit, eaque monumenta sui nominis reliquit, quæ nulla delebit oblivio: præsertim Obelisum altissimum in Vaticani atrio positum, alterum Ægyptiis figuris ab Athanasio Kirchero S. J. suæ integratæ restitutis insignem, erectumque ante ædes D. Joanni in Laterano sacras, grande palatum ibidem structum, & novam celsamque Pontificiæ habitationis fabricam omni ornamento genere superbam. Hujus insistens vestigiis Paulus V. tantopere in hac cura excelluit, ut Romanam urbem templis, porticibus, areis, fontibus, aliisque celeberrimis ædificiis velut novam reddiderit. Ejus potissimum auspiciis augustinissima illa Apostolorum Principibus sacra Basilica in Vaticano perfecta est, opus sane, ad quod sera posteritas stupescat, & in quo integro seculo ac plus quam vingt' Pontificum studio laboreque præstantissimorum Artificum est desudatum.

Initium dedit anno 1506. Julius II. primusque qui structuræ præerat, Bramantes Lazarus fuit; huic defuncto successerunt Raphael Urbinas, Julianus Sangal-

gallensis, Jucundus Veronensis, Balthasar Berruzius & Antonius Sangallensis; post fata vero Raphaelis Paulus III. an. 1546. Michaeli Angelo Buonarotti curam demandavit, qui templum hoc maximæ molis lapidibus eductum exterius splendidis operuit crustis, interius vero pulcherrimis exornavit parergis. Verum hoc quoque visus erepto quum fabrica optato successu careret, Paulus V. an. 1606. Caroli Maderni consilio & ope antiquam templi partem usque ad portam dirui, adjectisque sex saeculis, amplissimo xylo seu porticu aperi jussit. Xystus hic magnificis columnis, prægrandibus Christum & Apostolos duodecim referentibus statuis, ac parietibus gypso auroque inductis superbit, pavimentum vero exquisito marmore stratum fulget. Ante templi fores ingens area seu atrium in omnem sese partem per circuitum explicat, amplissimis laquearibus ac quadruplici ordinestantibus velut perpetuis columnis cinctum, statuisque magnificis superimpositis conspicuum. In media hac area pyramis una cum basi centum ac quinquaginta palmas alta eminet, olim sub Nicanore Ægyptiorum Rege Heliopolis urbis incola, tum a Caligula Imperatore Romam translata, & civitate donata; quam ex utra-

utraque parte gemini cingunt fontes, sa-
lientibus aquis largissimis, quas conchæ
amplissimæ excipiunt, insignes. In ipso
templi aditu, quod sine porticu octingen-
tos quadraginta palmos longum, sex-
centos quadraginta & unum in cru-
ce, ut vocant, transversa latum est,
altumque usque ad fornacem ducentos vi-
ginti quinque, oculos intuentum in se
rapit ipse fornix, qui longe lateque pa-
tet, inaurato gypso splendidissimus. Ex
utraque parte circumstant facella, præ-
stantissimorum ævi sui qua pictorum qua
sculptorum Lanfranci, Cyri, Ferri, Sam-
pierii, Guidonis Abbatini, Petri de Cor-
tona, Stephani Speranzæ, Antonii Bal-
lajoli Florentini, Muziani, Baglionii, Ber-
nini, Herculis Ferrariensis, Josephi Ber-
tosi, Campelli, Romanelli, Passignani, &c.
penicillo scalproque illustrata, & exqui-
sitissimis imaginibus, statuis, aris, mau-
soleis, SS. Corporum exuviis ac pretio-
sissimis lapidibus monumentisque exorna-
ta. In media superioris Basilicæ parte
magnificum opus conspicendum se præ-
bet, quod *Confessionem* SS. Apostolorum
Petri & Pauli nuncupant, quatuor ingen-
tibus columnis ex ære fusis tornatisque,
ac conopeo pariter æneo tectis instru-
ctum. Sub hoc sacra præfatorum Apo-

stolorum ossa quiescunt, ac centum & amplius lampadibus argenteis continuo ardentibus illustrantur. Ambitum reliquum plura rursus facella distinguunt (totidem templa minora satisque ampla dixeris) inter quæ facile princeps est medium, quod cathedra S. Petri lignea quidem, sed metallo undique circumducta, & succolantium quatuor ex ære fusis Ecclesiæ Doctorum statuis suffulta superbit. Omnia vero reliquarum Templi partium splendorem velut absorbet stupenda moles tholi seu laquearis undique illustris, quod *copulam* vocant Itali; hæc ducentos palmos latitudine sua, sexcentos vero altitudine a calce pavimenti ad summum usque verticem mensurata complectitur, cui stat impositus globus aeneus duodecim palmos diametro suo continens, plurimumque hominum admittendorum capax. Operis quod hucusque descripsi, totius magnificentiae respondent immensi sumptus quadraginta octo fere millionum, uti fertur, præter ingentes sacri adparatus divitias; novisque identidem ornamentis in hanc usque diem illustrius evadit. Nemo autem vel miretur, vel indigne ferat, quod dum præclara Architecturæ opera hoc in loco adduxi, solam fere Italiam, præ cæteris urbem Romam, Letori

ctori spectandam exhibeam. Profecto non ignorant rerum periti, Italos in arte architectandi palmam reliquis nationibus dadum præripuisse, Romanque Architectonicæ scientiæ magistram esse, utpote quæ quidquid sanctum, antiquum & venerabile, quidquid solidum, ornatum ac perfectum est in ædificiis, sinu suo complectitur: plurima templa, Vaticanum, S. Mariae Majoris, Lateranense, Pantheon: id quod SS. IESU Nominis ab Alexandro Farnesio dicatum, & sepulchro S. Ignatii, araque lapide lazulo, ac statuis marmoreis pretiosissime ornata famosum: Ludovisiandum S. Ignatii Loiolæ admirando celeberrimi pictoris Pozzii S. J. penicillo illustratum; facellum Sixti V. in Basilica Liberania, item Burghesianum Pauli V. sacræ architecturæ: plurima palatia Columnarium, Capronicorum, Farnesiorum, ædes Burghesianæ, Barbarinæ, Guisianæ, Pamphiliæ, Palatum Quirinale, moles ænea ab Urbano VIII. DD. Petri & Pauli sepulchro imposita, Curia Capitolina plena marmoreis æneisque statuis, & montis Citorii, fons Pamphilianus in area Agonali ab Innocentio X. erectus, alias Trevisanus, &c. aquæ ductus cum ingenti fornicum adparatu profanæ architecturæ sunt monumenta, quæ florescen-

tem ad omnium seculorum invidiam Architectonicam artem docent, censenturque Augusti ævo non inferiora. Non quidem inficias eo id, quod omnibus notum est, præsente ac priore seculo ad finem vergente plurimas ædes tum sacras tum profanas in Gallia, Hispania, Portugallia, Anglia, Belgio, & per totam fere Germaniam Regum ac Principum studio & impensis Parisiis, Viennæ, Londini, Dresdæ, Argentorati, Monachii, Augustæ, &c. satis magnificas surrexisse; fateri tamen oportet, plus in his ornatum, splendorem, voluptatem & opulentiam, quam veram & solidam, quæque maiestatem sapit, artem Architectonicam triumphare.

§. VIII.

Methodus Architectandi.

XLI.

Dejecta prima scientiæ hujus origine, palamque facto apud diversas gentes & nationes ejusdem cultu, instaurazione, atque in haec usque tempora felici propagatione, in secretiora illius adyta penetrare juvat, eaque quibus hodie utimur, artis & scientiæ hujus præcepta,

for-

formam, theoriam & praxin pro instituti nostri ratione velut in compendio exhibere. Est autem Architectonica Civilis scientia, quæ docet ædificia firma, comoda & ornata construere. Hæc jure ad Mathesin refertur, quoniam ad robur structuris conferendum doctrina mechanica, ad distributionem ædificii partibus adhibendam arithmeticæ & geometria, ad elegantiam & ornatum conciliandum proportionum notitia, ad delineationes bene formandas optico artificio instructa & munita sit oportet. Quamvis autem artem latissime patentem præceptis & legibus circumscribere ac perfecte complecti minime liceat, utpote in qua Magister usus & exercitatio pleraque explere debent, sua tamen utilitate neutiquam caritura est brevis explanatio theoriæ, ea in medium afferens, sine quibus in ipsa praxi procedere inoffenso pede non licet. Porro ædificia alia vocantur publica, seu quæ usibus publicis destinantur, uti sunt Templæ, Scholæ, Gymnasia, Collegia, Curiae, Aulæ, Cœnobia, Armamentaria, Granaria, Xenodochia, Portus, Fora, Theatra, Thermæ, aliaque his similia. Priva-
ta dicuntur, quæ singulorum civium habitationi, usui ac necessitati deserviunt, qualia sunt tum plebejorum & opificum

domicilia, tum civium, mercatorum, & Nobilium ædes, tum Optimatum & Principum palatia. Partes autem ædificii tres recte constituuntur: primo *fundamentum* seu basis, cui tota innititur *structura*: secundo ipsa *structura*, in conclavia, cellas & partes minores usibus conditoris convenientes distribuenda: tertio *teclum*, quod reliquas partes ab imbrium & tempestatum injuriis defendat. Vitruvius quidem Architectorum princeps in sex partes hanc artem dividit: Taxin seu ordinationem, Diathesin sive dispositionem, Eurithmiam, Symmetriam, decorem, & distributionem seu œconomiam: artis tamen rationem potius habuisse videtur, per partes disparatas eam exponendo, quam scientiæ, quæ a primis principiis & fundamentis per legum ac præceptorum gradus ad partes singulas, & ab iis ad totius operis perfectionem ascendit. Hæc autem in Architecture, uti supra monui, consistit primo in firmitudine tum structuræ universæ, tum singularum ejus partium, ne facile nec cito ruinam patientur. Secundo in commoditate, ut usibus & scopo illius, in cuius bonum struitur, ubique satisfaciat. Tertio in venustate, ut intuentium oculi voluptatem inde hauriant quam honestissimam.

Ante omnia vero est opus, ut Architecturæ studiosus ejusdem prima elementa & voces, quas terminos artis Philosophi vocant, quæque præ cæteris in usu esse solent hujus rei magistris atque discipulis, probe calleat. Hæc persequi cuncta nimis longum foret, meliusque hauriuntur e libris hanc scientiam tractantibus, ubi quæque nominibus suis atque figuris ante oculos positis exhibentur. Pauca solum eaque generalia velut ad rei sumam spectantia heic propono :

I. *Idea* generatim est forma seu effigies totius ædificii, aut partis ejusdem, sive gaudeat sive careat divisione sua & structura. Ad hanc pertinent : *Delineatio* seu idea necdum elaborata & divisa, totius ædificii vel partis ejusdem, simplicibus lineis aream operis complectens. *Ichnographia* est idea ædificii totius aut partis ejusdem cum interiore structura & divisione, adhibita regula breviore, eo modo, quo insistere fundo intelligitur. *Orthographia* est idea elaborata ædificii totius aut partis, uti oculis spectantium patet, erecta & insistens superficie, atque ad mensuram regulæ brevioris composita, non tamen nuda sicuti simplex idea, sed ornatu suo vestita. *Intersectio*

est idea elaborata ædificii aut partis, quæ interioris operis velut viscera manifestat, quemadmodum in corpore humano ad anatomiae leges dissecto. *Scenographia* est idea elaborata, quæ ædificium aut partem illius a fronte ac a latere spectandam præbet secundum Opticæ regulas.

II. — *Fulcrum* generatim in Architectura complectitur omne id, quo ædificium aut paries vel aliud onus fulcitur ac firmius redditur. Ad hoc spectant: *Columna* seu fulcrum ornatum, quod scapo, capitulo, ac basi gaudet. Præcipue vero Architecti per columnam intelligunt fulcrum teres cum suo ornatu, superiore ac inferiore sui parte extrema in quadrum abeunte. Sunt autem columnarum variæ species: *Parietina* seu muro immerfa, ita ut media pars solum promineat: *Anta*, in qua duntaxat quarta pars extat: *Pila* omni ex parte libera: *Parastata*, cui arcus vel trabs innititur: *Erisma* parieti onusto oblique adposita ad renitendum illius moli: quibus accedunt *incumba* seu capitulum Parastatæ, ex variis membris prominentibus compositum, & *scamillus*, genus quoddam graduum nonnihil prominens, supra quos columnæ, pilæ, aliaque fulcra eriguntur.

III. *Ordo* vocatur genus quoddam ornamentorum, e tribus velut corporibus tres quoque partes quasi membra complectentibus compositum. Primum est *Stylobata*, infimum Ordinis genus, supra quod columna erigitur, aræ non absimile. Hoc rursus continet *Basin*, *Truncum*, *Coronidem*. Secundum est *Columna* vel *pila*, arbori superius ac inferius abscissæ similis. Ad hanc denuo referuntur *Basis*, *Scapus* ad cylindri formam compositus, ita ut superior columnæ pars nonnihil declivis sit, & *Capitulum*. Tertium *Traheatio*, quæ componitur ex *Epystilio*, *Zophoro* ac *Coronice*.

Atque harum trium Ordinis partium membra majora rursus in alia minora membra & veluti articulos distribuunt Architecti, scilicet triplicis generis, in maiores ut *Quadrum*, *plinthum*, &c. in minores, ut *Regulam*, *Astragalum*, &c. & in mediocres, ut *Limbum*, *Cymatium*, &c. quorum nomina, mensuras & formam passim suppeditant libri Archite^ctonici. Ordinis autem quem exposui, scientia accuratissima non solum est Architecto necessaria, utpote sine qua nec ullum ædificium, nec ulla ejusdem pars rite construi potest, verum etiam utilissima alii-

quoque Artificibus, uti Pictoribus, Sta-
tuariis, Sculptoribus, &c. Architecto
quidem necessaria est, quum in omni
aedificio tres sint partes, quæ partium
earum, quas Ordo sibi poscit, vices ge-
runt, nempe *fundamentum*, quod *styloba-*
tam, *parietes*, qui *columnam*, & *tectum*,
quod *trabeationem* refert. Immo ipsum
corpus humanum, quod ad architectoni-
cæ leges a Deo adornatum initio dixi,
eleganter repræsentat hunc Ordinem,
quum pedes usque ad genua *stylobatae*,
reliquus truncus cum collo usque ad
caput columnæ, caput vero cum axillis
trabeationis munere fungantur. Ut vero
his Ordinis partibus ac membris, totique
demum Ordini debita respondeat mensu-
ra, quæ *symmetriam* & *eurythmiam* in-
tegro corpori conciliet, *Modulum* ut vo-
cant Architecti, oportet præparari, qui
aliud haud est, quam semidirometer sca-
pi teretis, & tanquam scala in delineandis
operibus adhibetur, utpote e qua rite di-
visa mensuræ pro singulis & omnibus Or-
dinis partibus recensitis capiuntur. His
præmissis ad aedificii dotes gradum pro-
movere licet.

XLII.

Firmitas Strukturæ.

Quoniam Architectura Civilis, ut superius memini, scientia est, quæ docet ædificia firma, commoda, & venusta construere teste Vitruvio (z) dicente: *Hæc autem fieri oportet, ut babeatur ratio firmitatis, utilitatis, venustatis, &c.* omnium primo ea sunt in medium producenda, quæ ad structuræ firmitatem vel necessaria sunt vel utilia, scilicet materiae delectus, struendi methodus, fundimenti jaciendi ratio, & tec*t*i fabrica. Quare lapides censentur optimi, qui reliquis duritie præstant; ita e quadratis ut vocant, iisque amplioribus latomi opera prius præparatis firmissimæ moles coagmentantur. His vel deficientibus vel nimium pretiosis adhiberi solent lateres cocti, quorum ingens hoc in negotio emolumendum, si apta ex materia compositi legitimo tempore igneque sufficiente fuerint tosti. Sunt qui eos quadratis aut æquiparandos, aut etiam præferendos arbitrantur eo ex capite, quod sint illis leviores, expeditius disponantur, quodque horum ope muros graciliores reliquis,

mi-

(z) *Lib. I. Cap. 3.*

minime tamen robore ac firmitate inferiores struere liceat. Cœmentitii vero lapides postremum in ædificiis locum occupant, utpote genus infimum, queis usi si necessitas cogat, per alia robori subsidia consuli oportet, murum scilicet reddendo spissiorem, angulosque quadratis lapidibus claudendo. Lignorum quoque delectus sedulo habendus, quæ quidem quantum ædificandi ratio patitur, ab ædibus sunt removenda; secus adhibenda probe prius exsiccata, & opportuno tempore, media fere hyeme plurimum cæsa, ubi succus in arboris trunco collectus eum reddit firmiorem, ut advertit Vitruvius.
 (a) Quæ autem de Lunæ succrescentis sollicita in cædendis arboribus observatione quidam asserunt, ut Columella, negant alii cum Gautier Architecto Gallo, ipsique rerum magistræ experientiæ adversari videntur. Ad arenam quod adtinet, fossilis, pura & lapillis crassioribus destituta, nec tamen nimium subtilis, est optima, cujus partes duæ cum una calcis commixtæ collam pro colligandis lapidibus idoneam subministrant.

Methodus in struendo plurimum ad robur conciliandum conducit. Itaque stru-

(a) *Lib. 2. Cap. 9.*

cturas omnes ad perpendiculum erigi, ac
in horizonte statui oportet. Muri ex
quadratis lapidibus aut lateritiis compo-
siti omnium firmissime coagmentantur, si
superiorum lapidum strues jungat inferio-
rum commissuras, easque velut constrin-
gat. Superiores quoque muri partes post
absolutam cujusvis contignationis altitu-
dinem inferioribus fiant contractiores.
Præ reliquis firmas reddit ædes ea par-
tium distributio, qua in omnem partem
æqua ratione librantur, ita ut ex uno la-
tere nullum plus justo gravius pondus re-
periatur, quam ex altero. Porro ligna
undique obducta limo vermes procul ar-
cent, vel serius admittunt, afferuntque in-
signe contra Vulcani furorem præfidium.
Præterea fornices firmandis ædibus vires
subministrant longe maximas. Sunt hi au-
tem structuræ arcubus lapideis contextæ,
serviuntque vel toti ædificio vel quibus-
dam illius partibus tegendis. Horum va-
riæ sunt formæ: *Hemicylindricus*, *Testu-*
do delumbata, *Umbilicalis*, *Hemispæri-*
cus. Non vero admittendi sunt fornices,
ubi latior structura tegenda occurrit, sed
tum potius duæ tresve concamerationes
suis innixæ columnis sunt erigendæ. Si
nullum fornici onus incumbat, versus
partem superiorem veluti per gradus te-
nuior

nuior fiat, lateribusque coctis claudatur
necessse est; tum vero probe omnis te-
gendus, ne qua desuper illapsa forniciem
concutiant, aut plane perrumpant. Con-
venit autem ampliora murorum inter-
valla, fenestras, portas, superius arcubus
tegere, ne muri robur infringatur. De-
nique si muri tantas gestare moles ne-
queant, erigenda sunt erismata seu mu-
rorum adjectus, qui ea parte, qua pon-
dere suo premit fornix, statuantur. Ve-
teres velut auctoritate prætoria muro-
rum exstruendorum leges condiderunt se-
quentes: I. Muro basin subigit firmissi-
mam. II. Superiora inferioribus ad per-
pendiculum respondeant, curato. III.
Angulos ossaque parietum a solo in sub-
lime robustiore lapide obfirmato. IV.
Calcem macerato. V. Lapidem in opus
nonnisi madentem ponito. VI. In fene-
stris & foribus duriorem objicito. VII.
Structuram ad regulam & perpendiculum
ducito. VIII. Commissuras anteceden-
tium medii deinceps lapides obtineant.
IX. Integros ordinibus exponito. X.
Medium parietem refractis farcito. XI.
Ordines ordinibus, crebris traductis la-
pidum nexuris, coadjugato.

Nihil tamen ad solidam structuram plus emolumenti affert, quam fundamen-
tum rite jactum, quod quo latius est, eo
melius censetur. Vocatur autem lectus
seu fundus solidus debito modo paratus,
ut oneri totius structuræ ferendo par sit.
Fundamentum quod natura præbet seu
solum petrosum, omnium est tutissimum.
Si ex lapidibus aut lateribus ponatur, in-
fra superficiem, cui structura imponitur,
recondendum est, ne alluvione facta pa-
tiatur damnum. Ut autem rite fiat, ter-
ram effodi oportet eousque, donec solum
stabile & firmum reperiatur: si hoc nec-
dum adparet, pali sex, octo, pluresve
longi pedes in terram adigendi, capita-
que eorundem transversis robustis trabi-
bus sunt conjungenda, quod operis ge-
nus *palationem* dixerat Veteres. Ita fir-
mato prius solo craticulæ moles erit en-
da tuto imponi potest. Quo autem ^{hic} major
structura est, & solum laxius, eo
plures quoque pali sunt infigendi, for-
tiusque colligandi. Jam vero lapides, ex
quibus lectus rite componitur, quadrati
seligantur; quandoque uncis quoque fer-
reis clavisque junguntur: juvat etiam
murum fundamento servientem versus
partes superiores quasi per gradus con-
trahere. Non spernenda heic Veterum
con-

consuetudo, quorum prima opera in domus ædificatione circa cellas effodiendas versabatur, ut varios terræ cortices, qui sibi invicem sæpius subjacent, cognoscerent. Proportio autem fundamenti ad molem relati non satis est comperta, nec certum quid statui posse videtur ob tot, quæ in ipso solo possunt occurrere, obstacula. Experientia suffragatur veteri regulæ, altitudinem fundamenti vendicare sibi sextam partem altitudinis, qua tota moles gaudet: item muri fundamento servientis crassitatem pro altitudine quadraginta quinque pedum duplam, pro septuaginta triplam latitudinem.

Fundamento, tanquam infimæ partis structuræ, merito succedit suprema seu tectum. Hoc nec nimis altum, nec nimis humile sit oportet. Primum enim genus inutili pondere gravat muros, quibus incumbit, & ob ligni copiam majus incendii periculum subit: alterum debita caret declivitate; unde pluvia, & quæ ex nive soluta colliguntur, aquæ in eodem stagnant, ac lateres corrumpunt. Dimidia latitudo altitudinis ad perpendicularum exactæ mensura esto: nam ita fieri, ut adhibito, qui æqualis altitudini est, radio, impositoque latitudinis semi-cir-

circulo subtensæ illius, in quatuor arcus æquales secti, lineæ peropportunam terti figuram quasi sponte sua offerant. Partes autem, e quibus tectum componitur, e ligno fabricantur, suntque *cantherii*, *transstra*, *capreoli*, *catenæ*, *columnæ*. Porro duplex tectorum forma est; una quam Italicam dicunt, quæ tectum a summo vertice usque ad extrema labia eodem veluti ductu in declive porrigit: altera, quam Gallicam vocant, quæ tectum in duas partes, quasi duo tecta dividit, eo quod superius est, segmento minore relicto. Cætera trabes intra cornicis vel tympani, quo murus supremus tegitur, lapides sunt absconditæ, relictis quibusdam foraminibus apertis, per quæ aer liberum habeat transitum, ne trabes absconditæ tam cito computrescant. Demum non modicum præstat adversus incendia obsequium murus, quem vocat Vitruvius *intergeri-um*, qui ultra tectum tribus quatuorve pedibus emineat, unumque ædificium ab altero separet: quin & tecta ipsa longiora muro tali medio distingui præcipiunt Archite~~cti~~, eo fine, ut una parte flammis correpta, saltem altera incolmis servari possit.

XLIII.

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. IX.

Q

XLIII.

Commoditas Structuræ.

Ubi satis prospectum fuit ædium firmitati, cura non minor commoditatis habenda est, cuius ratio in hoc versatur, ut ea totius ædificii dispositio fiat, quæ vitæ conditioni, usibus incolarum, & vel maxime scopo illius, cuius sumtibus struitur, omni ex parte respondeat satisfaciatque. Quare breviter agendum heic loci de situ figuraque ædium, de amplitudine ac dispositione conclave, de lumine, fenestris, januis, fornacibus ac cæminis, scalis locisque secretioribus. Jam vero ad situm loci opportunitas, & frequentia, item salubritas pertinet. Invigilandum igitur, ut aer purus, nullis infectus noxiis vaporibus adfluat. Hoc consequi licebit, si loco libero & ab aquis stagnantibus remotore ponantur ædes, aut saltem conclavia habitationi destinata versus plagam septentrionalem aut orientalem, a quibus aura spirat salubrior, collocentur. Laudanda heic rursus Veterum consuetudo, qui dum domos ædificabant, initium fecere a puteis effodiendis, ut hac ratione indolem aquæ bonitatemque explorarent.

Figura ædificiorum varia est : turres inferiore sui parte quadratæ sint oportet ; mox ubi altius eluctantur , formam vel rotundam , vel sex aut octo angulis distinctam admittunt . Templis figura debetur oblonga & ad rectos angulos composita , donec in modum arcus superiore sui parte coeat . Ita fiet , ut tum in sacris peragendis pars spectatorum maxima in aræ summae ac Sacerdotis conspectu collocetur , tum ut suggestu prope medium muri meridiem spectantis posito Sermones sacri ab Auditoribus tam superiorem quam inferiorem templi partem occupantibus distincte percipientur . Ædibus aptissima est figura pariter oblonga , angulis rectis conclusa , in qua præ cæteris probatur proportio lateris minoris ad majus 3:4. 2:3. 4:5. 3:5. Modum vero dabunt fines ædificii futuri , ac leges pulchritudinis , suo loco memorandæ . Conclavibus minoribus quadrata , amplioribus forma oblonga convenit : ubivis vero ut ad rectos construantur angulos , studiose prospiciendum est , ea saltem , quæ conspectui patent .

Ut autem amplitudo ac dispositio conclaveum debita obtineatur , Architectus ob oculos animumque statuat necesse est

conditionem finesque illorum, ad quos ædes pertinent: ex his alii pauca sed ampla, alii exigua sed plura requirunt conclavia. Quare ad cuiuslibet vota partienda erit area universa: & infimo quidem loco, præcipue qua ædes spectant posticam, viliora conclavia famulitio destinata, penuarias, aliasque cellas collcare oportet. Sequens contignatio reliquorum opportunissima tria ut plurimum aut quinque diversæ amplitudinis conclavia majora obtineat, quorum medium excipiendis hospitibus ac mensæ sternendæ serviat, & ad quod per utrinque dispositas januas accessus pateat ad reliqua. His præponendæ sunt porticus vel parietibus distinctæ vel liberæ. Plura docebit ipsa experientia, id earum celebrium imitatio, locique indoles, canente Manilio: (b)

*Per varios usus artem experientia
fecit,*

Exemplo monstrante viam.

Amplitudinis vero leges partim ædificii magnitudo, partim conditio & scopus a Domino ædium intentus subministrabunt. Tricliniis viginti quatuor pedum latitudine,

(b) *Lib. I.*

do, longitudo triginta novem, vel in majoribus quadraginta octo convenit: conclavia quadrata admodum commoda sunt, si lateri octodecim, viginti aut viginti quatuor pedes tribuantur. Supremam contignationem paullo depressoem occupant vestiaria, dormitoria, & conclavia junioris familie, & ancillarum, aliis ad auram puriorem præsertim æstatis tempore capiendam, aut prospectus gratia relictis.

Uti luminis per ædes dispensatio summe necessaria, ita fenestrarum recta dispositio præcipuas inter Architecti curas habenda est: vetus ac vera præceptio etiam hodie locum habet, curandum esse, ut medio in conclavi constitutus sat magnam cœli partem per fenestras tueri possit; ita sufficiens adfluet luminis copia. Quare quam proxime licet, superiori tabulato fenestræ admoveantur, ita tamen, ut ab inferiore tribus fere pedibus distent. Hæ præcipue in scalis & viis angustioribus sunt necessariæ, ne transeuntes hinc inde offendant. Latitudo illarum minima est trium pedum, commodissima vero, si januarum latitudini respondeant, & binis spatium præbeant, ut simul in plateas aut hortum

prospicere queant. Altitudo autem vel duplex vel talis requiritur, cuius ad latitudinem ratio est, qualis 3:2. Præterea superficies murorum lateralium ad planum fenestrarum inclinari debent, ut cum iisdem angulos obtusos componant, atque ita copiosiori lumini excipiendo viam præbeant: pars quoque muri, cui fenestrae insistunt, contractior sit oportet, quam quæ inter eas intercedit, ut commodior ad ipsas fenestras proprietorque sit accessus. Porro inter fenestras murus earum latitudini æqualis est relinquendus, ne roboris quidquam auferatur, ob quam ipsam rationem ab angulis ædificii aut muri extrema parte duobus minimum vel tribus omnino pedibus removeri necesse est. Conclave minus duas fenestras plerumque exigit, majora vero tres vel quatuor admittunt.

Januarum structuram corporis humani mensura docet, cuius altitudo quum sex potissimum, latitudo autem habita quoque brachiorum ratione tres fere pedes contineat, janua minimum septem pedes alta, tres cum dimidio lata sit oportet. Latiores, quales decet adhibere pro conclavibus majoribus vel triclinis, duabus valvis clauduntur. Com-

mo-

modissimus in quo collocentur locus erit media pars parietis cubiculum claudentis: in ipsis autem conclavibus ita disponantur, ut anteriores posterioribus opponantur, quibus apertis per integrum partis cuiusdam tractum prospectus patet. Figuram induunt parallelogrammi ad rectos angulos compositi, nisi latitudo major, qualis est portarum, easdem superne concamerandas esse suadeat. Limen vero januae vel omnino nullum habeat gradum, vel certe humillimum, cuius altitudo digitum non excedat, ne quis pedem facile offendat. Exterior ornatus januarum & portarum e ligno vel marmore vel alio lapide fit, ejusque structura e doctrina & legibus Ordinis sumitur.

Fornacum & Caminorum inventio-
nem non Architectonicæ arti debemus,
sed necessitati ad frigus brumali tempore
pellendum. Itaque fornax e laminis fer-
reis vel fusis vel malleo probe subactis,
aut e lateribus igne coctis coustruitur,
& collo tenus a pariete removetur, im-
poniturque columellis, non muro solido:
pars ejus superior quidem altior, sed angu-
stior sit: fumus autem per canales egeritur,
ita ut absque ignis consortio in auras eva-
nescat. Tandem in fornace craticula po-

nitur, supra quam ligna collocantur bene exsiccata, ut in flammarum cito abeant integra, moxque conflagrent. Tum fornacis collum, & si qui canales sunt peculiares, qui fumum avehant, clauduntur. Camini in nostris, quas habitamus, regionibus utilitate multo inferiores sunt fornacibus: postulant autem focum cum ostiolo, per quod aer exterior ligna ignemque sufflet: collum vero incurvandum valvaque obstruendum est, ut claudi queat lignis jam igne absumptis, & carbonum crassis exhalationibus dissipatis. Latitudo camini minoribus in clavibus satis commoda censetur trium, in majoribus quinque, in cubiculis quatuor pedum: latitudinis proportio ab altitudine petenda $4:3$. vel $5:4$. profunditatem præbet mensura infra duplum latitudinis accepta. Fumaria vero ne onere suo ædibus noceant: commode in ipsis intergerinis excitantur, ita ut circa fundum inferiorem paullo angustiora sint, ac deinceps sensim ampliora fiant, quum impetus, quo fumus ascendit, paucisper hebetari soleat. Hinc ad singulos viginti pedes altitudinis integro digito ampliora evadant necesse est. Minima latitudo solet esse decem, longitudo quindecim digitorum.

Scalarum varia sunt genera : quædam subdiales vocantur , per quas ex ipsa platea ad ædificii fores ascendimus : quædam primariæ, quæ cuvis ex infima ædificii contignatione ad superiores aditum præbent : aliæ occultæ, quæ patrifamilias accessum ad singula conclavia indulgent : aliæ cochlides, quod scalarum genus est, cuius gradus circa cylindrum in medio erectum instar cochlearum in gyrum redeunt. Subdialium scalarum partes anteriores paululum declives esse debent, ut aquæ pluviales facilius delabantur. Scalæ primariæ velut ab ædium centro adsurgant, ita ut introeuntium conspectui objiciantur, & ad ædificii partes aditum patefaciant : occultæ vero ita disponantur , ne sub oculos cadant, neve spatii quidquam conelavibus surripiant ; cochlides nisi necessitas & angustia loci urgeat, procul sunt arcendæ ob lapsus periculum extrema versus cylindrum parte imminens. Cætera scalæ, quæ recta excurrunt via, latitudinem in privatis minimum quatuor pedum, in publicis ædibus summum novem, altitudinem seu distantiam graduum dimidiis pedis sibi vendicant : gradus vero ipsi latitudinem altitudinis duplam, vel unum pedem ac duos digitos. Citra necessita-

tem autem scalis non tribuantur plures quam tredecim gradus: hinc longius excurrentes alternis planitiebus sunt dissu-
genda, ne continuo per eas saltu ascenden-
tes fatigentur. Præcipu vero Architec-
tura sit, ut de sufficiente illis lumine
prospiciat. Denique loca secretiora lon-
gius ab honestioribus removeantur, atque
intra parietes abscondantur, ne conspe-
ctui prætereuntium occurrant: superne
spiraculis sunt instruenda, ne fœtor per
ædes sese diffundat: inferius si loci na-
tura patiatur, supra rivi vel fossæ aquas
erigantur, ut statim abluantur fôrdes.
Quod si fieri nequeat, fovea quadrata
circa ædificii angulos occultos paretur,
quæ aquam pluvialem per canales e tê-
cto subeuntem excipiat; nonnulli calcem
frequentius affundunt, quo putridum odo-
rem opprimi experientia docet.

XLIV.

Venuſtas Structuræ.

Non firmitate duntaxat & commodi-
tate prædicta sit structura oportet, ut nu-
meris omnibus absoluta dici queat, sed
& venustate, de qua dum agit Vitru-
vius (c) „ Venuſtatis autem (præclare
„ nit)

(c) *Lib. I. Cap. 3.*

„ ait) erit habita ratio, cum fuerit spe-
„ cies grata & elegans, membrorumque
„ commensus justas habeat symmetriarum
„ rationes. „ In quæ verba Daniel Bar-
barus ita commentatur. „ Cumque de
„ venustate mentionem facit, eam intel-
„ ligit, quæ proportionibus comparatur,
„ non autem illam, quæ ornamenti con-
„ stat . . . aliud enim est pulchritudo,
„ aliud ornamentum : interna res quæ-
„ dam est ipsa pulchritudo, & cum re
„ nata ; sed ornamentum exterius adhi-
„ betur, pulchritudini superadditum, po-
„ sterius adveniens : venustas ab intelli-
„ gentia Architecti : utilitas a probitate,
„ firmitudo a potestate ; hinc illud posse,
„ velle, & scire oportet eum, qui aliquid
„ facturus est. „ Quibus ex verbis fa-
cile colligitur, duplēm esse in ædificiis
venustatem considerandam, unam cum re
natam & interiorem, quam symmetria
& proportio membrorum iis conciliat,
exteriorem alteram, & rei supervenien-
tem, quam sculpturæ, picturæ, laquea-
ria, portæ, aliave parerga tribuunt: prior
venustas e Symmetriæ ac Eurithmiæ le-
gibus petenda. Est autem Symmetria,
quam Vitruvius *commensus exactiōnem* vo-
cat, singularum partium tum mutuo in-
ter se, tum ad integrum ædificium ex-
acta

acta proportio , desumiturque partim ei
humani corporis fabrica , qua nulla ma-
gis placere potest, nobisque vicinior est,
partim ex harmonia & concentu musi-
co , hoc discrimine , ut ibi oculus , hec
auris judicem agant. Eurithmia vero di-
citur⁸ aptus partium situs , dum dextra si-
nistris eodem numero, intervallo, positi-
que respondent , quæ rursus ex humani
corporis structura petitur , in qua conspi-
cimus partes quasdam solitarias ac pro-
minentiores, uti nasum, os, umbilicum in
medio collocatas, alias vero ex utraque
parte, ut aures , oculos, brachia, æqua-
li distantia, figura & magnitudine dispo-
fitas. Atque hujus venustatis præcipuum
Architectus curam habeat necesse est:
ad posteriorem , (quam adhibere cum
moderamine decet, neutiquam negligere)
pertinent præ reliquis picturæ, quarum
aliæ dicuntur *Megalographicæ*, quæ He-
roum facies & res gestas exhibent, aliæ
Topiariæ, quæ hortos, domos, arces, op-
pida, immo integras provincias conspe-
ctui sistant: tum imagines & statuæ, quæ
vel nuncupantur *Atlantes* integrum vel
mediam hominis staturam præferentes,
ac manibus post occiput reductis & ele-
vatis cubitis ac submisso nonnihil vertice
pondus sustinentes, quas *Telamones* vo-

re videtur Vitruvius; vel *Sigilla*, quæ caput solum & pectus; vel *Colossi*, statu-ram humana majorem ostentantes. *At-lantides* sunt imagines vel statuæ fœmina-rum, artis instrumenta manibus gestan-tium: *Cariatides* referunt mulieres stola indutas, quæ etiam Telamonum officio funguntur, qualemque inter marmora Arundeliana repartam describit Isaacus Vossius. (d)

Quoniam vero venustatis omne fun-damentum ex Ordinum doctrina deriva-tur, de his quoque breviter agendum videtur, præmissis jam præcipuis partium vocabulis. Sunt autem Ordines Archi-tectonici quinque: *Tuscanus*, *Doricus*, *Jonicus*, *Corintbius*, *Romanus*, quibus sextum adjecit Sturmius, & *Teutonicum* adpellavit. Juvat heic maxime Dorici, Jonici, & Corinthii Ordinum originem & incunabula exponere, ut illos descri-bit Vitruvius: (e) Et quidem Doricus a Doro Hellenis & Opticos Nymphæ fi-lio nomen est sortitus. Dorus hic quum Argis primum Junoni Templum molire-tur, Jones roboris ac venustatis rationes & symmetrias, quibus in templi colu-mnis

(d) *Var. Observ.* p. 117.

(e) *Lib. 4. de Architect.*

mnis struendis uterentur, solicite investi-
 gantes optime se facturos esse sunt arbitri-
 trati, si pedis virilis vestigium dimet-
 entur; quumque pedem sextam esse alti-
 tudinis partem in humano corpore de-
 prehendissent, menstram hanc ea ratio-
 ne in columnam transtulerunt, „ ut qua-
 „ crassitudine fecerant basin scapi, tan-
 „ tum eam sexies cum capitulo in alti-
 „ tudinem extulerint, ita ut Dorica co-
 „ lumna (sic a templi Architecto dicta)
 „ virilis corporis proportionem, & firmi-
 „ tatem & venustatem in ædificiis præ-
 „ stare coeperit. „ Jones iidem, ubi post
 modum ædem Dianæ sacram exstruxere,
 ut novam columnis faciem formamque
 tribuerent, „ quærentes novi generis spe-
 „ ciem iisdem vestigiis ad muliebrem
 „ transtulerunt gracilitatem, & fecerunt
 „ primum columnæ crassitudinem altitu-
 „ tudinis octava parte, ut haberent spe-
 „ ciem excelsiorem: basi spiram suppo-
 „ fuerunt pro calceo, capitulo voluta
 „ uti capillamento concrispatos cincinnos
 „ præpendentes dextra ac sinistra collo-
 „ caverunt, & cymatiis atque encarpis
 „ dispositis frontes ornaverunt, truncis
 „ que toto strias, uti stolarum rugas ma-
 „ tronali more demiserunt. Ita duobus
 „ discriminibus columnarum inventionem

„ unar

„ unam virili, alteram muliebri subtilitate & ornatu symmetriaque sunt imitati. Id autem genus, quod Jones scrierunt, primo Jonicum est nominatum. „ Corinthius vero, qui Ordo Callimachum auctorem habuit, & veluti virgineam speciem refert, queis graciliora membra indulget natura, sexus autem conditio venustiorem corporis ornatum, hac ratione inventus fuisse a Vitruvio proditur: „ Virgo civis Corinthia, jam matura nuptiis implicita morbo decepsit. Post sepulturam ejus, quibus ea viva poculis delectabatur, nutrix collecta & composita in calatho pertulit ad monumentum, & in summo collo cavit, & ut ea permanerent diutius sub dio, tegula texit: is calathus fortuito supra acanthi radicem fuerat collectus. Interim pondere pressa radix acanthi media folia & caulinulos circa vernum tempus profudit, cujus caulinuli secundum calathi latera crescentes, & ab angulis tegulæ ponderis necessitate expressi flexuras in extremas partes volutarum facere sunt coacti. Tunc Callimachus, qui propter elegantiā & subtilitatem artis marmoreæ atheniensibus *Cachizotecnos* fuerat nominatus, præteriens hoc monumentum anim-

„ animadvertisit eam calathum, & circa
 „ foliorum teneritatem, delectatusque ge-
 „ nere & formæ novitate, ad id exem-
 „ plar columnas apud Corinthios fecit,
 „ symmetriasque constituit, ex eoque in
 „ operum perfectionibus Corinthii gene-
 „ ris distribuit rationes. „ Sunt autem
 characteres quidam, e quibus facili ne-
 gotio Ordines Architectonici inter se di-
 stingui possunt: primus character est di-
 versa eorum altitudo. Nam si ad leges
 ipsius artis construantur, infima est Tu-
 scana, hoc grandior Dorica, sequuntur
 Jonica, Teutonica, Romana & Corinthia,
 quæ postrema præ reliquis altissima. Al-
 tera est, quæ conspectui se sistit, diversa
 species & forma, seu partes illarum seu
 ornamenta species, præsertim ea, quæ in
 capitulis & trabeationibus columnarum
 occurunt. Unde Architecti Ordinem
 Tuscanum, utpote omnium simplicissi-
 mum scite comparant rusticō nuptiali ve-
 ste induto: Doricum civi honestiori: Jo-
 nicum modestæ matronæ, Virginī com-
 ptiori Romanum, fœminæ lascivius ami-
 ctæ Corinthiacum.

Denique in his, de quibus egī, Ar-
 chitectonicis Ordinibus ingens latet the-
 saurus, nempe oannis generis partium,
 queis

queis ædificium totum componitur, decora, ita ut instar cornucopiæ serviant ad universam structuræ cuicunque venustatem & elegantiam affundendam. Ex his fenestrarum, caminorum, scalarum, portiorum, facierum, quæ *frontispicia* vocant, arcuum & coronicum in conclavibus & aulis ornatus est petendus, parato antea modulo, altitudini ac latitudini operis struendi accommodato. Prius tamen Architectus probe perspectum habeat, ubi simplicior, ubi exquisitior adhibendus sit decor: Cætera non modicum addunt fastigia, quæ tecti speciem quandam referunt, operibus sub dio constructis veluti ad pluvias arcendas superimpositi, cuius forma triangulum refert, aliquando etiam arcum imitatur. Altitudo illius *tympanum* dicitur. Veteres in ædibus privatis utebantur tectis nonnisi planis: affurgentibus vero nonnisi in templis; unde fastigia initio templorum duntaxat erant ornamentum. Primus Cæsar in domo sua fastigium erexisse fertur. Porro ingens ornamentum & majestatem publicis ædificiis atque palatiis afferre solent Porticus, quarum alia dicitur *columnata*, quæ columnis sustentatur, sed arcubus caret: *Cuneata* alia, in qua pilis peculiaribus innixi arcus concurrunt.

Quinque columnationum pro fabricandis ejusmodi porticibus genera Vitruvius enumerat (f) πυκνόσυλον crebris constans columnis, σύσυλον, paullo remissioribus, Διάσυλον amplius patentibus, Αραιόσυλον rarius quam oportet inter diductis, ἔυσυλον intervallorum justa distributione præditum. Intercolumnia tamen seu spatum inter plures columnas in eadem serie positas interjectum aequale sit necessum est, excepto spatio medio, quod duplo majus occupare solet, quum per illud introitus ad aedes pateat.


Ultimum venustatis, qua gaudent aedificia characterem suppeditant picturæ & statuæ, quamvis nemo inficias ire possit. Architecturam nimia illarum frequentia copiave corrumpi potius quam exornari. Hinc picturæ parcus adhibendæ sunt in exterioribus aedium parietibus, quum horum ornatus ex iis potissimum peti debet, quæ simul firmitatem & robur affere solent: si tamen e vivo lapide columnæ deficiant, ars adhibetur æmula naturæ, substitutis exterius columnis cum decenti trabeatione, penicillo elaborati.

(f) Lib. 3. Cap. 2.

ut firmitatis speciem ageant. Quodsi vero parietes externi columnis sint suffulti, intercolumnia præcipue quæ sunt sub fenestris, emblematis concinne illustrantur, inter subscudes conclusis. Simulacra hominum in parietibus depicta communem structuram excedant necesse est, ut majus addere robur videantur, eorumque magnitudo & moles non tam naturæ quam ædificio est aptanda. Ejusdem roboris ratio quum potissimum habenda sit, omnis colorum luxuries procul arcenda, nec varius, sed unus, simplex, obscurior, nempe fuscus vel glaucus vel sub-cæruleus est adhibendus. Porticus Optimatum imaginibus victorias, prælia, aliave his similia referentibus exornari solent, quod picturarum genus *Megalographia* dicitur. Civium vero honoratiorum conclavia prædiis cum adjacentibus hortis, pratis, ac sylvis, quæ *Topiaria* vocatur; quæ autem *Scenographice* intra conclavia pinguntur, in ipso eorumdem ingressu oculi situm poscunt. Porro hominum effigies non ea, qua utimur hodie, sed antiqua veste, puta stolis aut togis sagisque induitæ compareant, ut sapientiæ vetustatem. *Colossi* Regum & Heroum honoribus consecrantur: *Pariles* sapientum & bene meritorum

rum memoriæ serviunt: *Telamones* & *Cariatides* in devictarum gentium ignominiam columnarum vices obeunt: Simu vero nuncupantur statuæ, quæ anteriori sui parte prominent: posteriore autem sunt absconditæ. Universim vero statutæ intra nidos seu parietum cavernas superne fornicatas, & a tergo cavas, ac supra stylobatam ab imo pavimento suffultas collocentur. Sed nunc a Civili ad Militarem Architectonicam gradum faciamus.





CAPUT VI.
ARCHITECTONICA
MILITARIS.

§. I.

*Origo, progressus, & terminus
Veteris Munitionis.*

XLV.

Nascente mundo dum quivis adhuc sub ficu & tecto habitabat, suæ intentus familiæ, ac parum de vicini fortuna sollicitus, pax alta regebat orbem. Nam fortunatissimo illo mortaliūm ævo; quod nullam magis ob causam, quam ob auri divitiarumque ignorantiam Poetæ Auream ætatem nuncuparunt, nullus adhuc locus munitus, nec homines armis assueti instructique degabant: satis illos sua tuebatur innocentia; utque longissime aberant mores a vitiis, ab ambitione ac avaritia, ita fines eorum

rum nudi præsidiis, vacui milite & custodiis, nulla re magis quam propria defendebantur inopia. Hinc Ovidius (g)

*Nondum præcipites cingebant Oppida
fossæ,*

*Non tubæ directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis erat ; sine mi-
litis usu*

Mollia securæ peragebant otia mentes.

Postquam vero crescente hominum numero simul & invidia (individuo cupiditatis comite) in deterius acti sunt mortes, bellorum infelicia semina proruperunt, Marsque caput extulit, & auream pacem turbare cœpit, ut ingeniose notat idem Poeta :

*Jamque recens ferrum, ferroque no-
centius aurum*

*Prodierat, prodit bellum, quod pu-
gnat utroque,*

*Sanguineaque manu crepitantia con-
cutit arma.*

Hinc nocendi opportunitas qua sita armis; inde nata vicinos inter diffidentia.
Qua-

(g) *Lib. I. Metamorph.*

Quare ut se suosque fines a frugiperdis
& prædonibus intactos servarent, plures
sed gregatim adhuc, vitæ bellique socie-
tatem inivere: quumque nec ita satis se
securos a vi conspicerent, munitionibus
inveniendis struendisque animum & ma-
nus adjecerunt. Omnia fere princeps
Semiramis Babylonem legitur longa mu-
rorum corona fuisse complexa, de qua
Ovidius (h)

*Ubi dicitur altam
Coctilibus muris cinxisse Semiramis
urbem.*

Et Justinus: *Hæc Babylonem condidit,*
murumque urbis cocto latere circumdedidit.
Porro e civitatum obsidione facile patet
earum munitio prævia. Exstant hujus
vestigia vel in SS. Literis. Profecto Mo-
ses (i) in hæc verba inquit: *Si qua au-
tem ligna non sint pomifera, sed agrestia
& in cæteros apta usus, succide & in-
strue machinas, donec capias civitatem,*
quæ contra te dimicat. Quam vocem
machinas recentiores quidam Interpretes
teste

(h) Lib. 4. Metamorph.

(i) Deuteronom. Cap. 20.

teste Lipsio (k) *Propugnaculum* aut *Munitionem* vertunt. Ut nihil heic memorem de Græcorum ac Romanorum fastis, in quibus urbium obsidiones expugnationesque longo recensentur ordine, nihil de Tyro, nihil de Carthagine, nihil de Sagunto, Trojam pridem munitam fuisse quis neget, qui decennio integro obfessam legit apud Homerum & Virgilium? sed modo non tam origo nascens, quam progradientis, & ad nostrum usque ævum varia fortunæ ac formæ vicissitudine sese propagantis munitionis ordo curiosius nonnihil est investigandus.

Primum senticetis ac palis agrestem Rempublicam suam munire cœperant, cuius rei vestigia M. Alexander anno ante Christum natum trecentesimo vigesimo octavo apud Hircanos Mardosque teste Curtio (l) invenit. Verum ubi animadverterant, facili negotio hoc munimenti genus disjici & in frustra discindi posse, muro simplici sese contra vim exterritorum defendere statuerunt. Sed nimium fragile fuit hoc quoque opus adversus dominandi libidinem, quæ passim apud

(k) In suo *Poliorcetico* *Dial. 3.*

(l) *Lib. 6. Cap. 5.*

apud homines invalescebat, qui facile viam invenerunt frangendi dejiciendique muros. Itaque hos cingebant incolæ fossis, e quibus glebam egestam in valla seu aggeres erigebant muris conclusos, intra quorum sinus securi laterent ipsi, hostes vero telis impune possent laceſſere. Res hæc accedit oppugnantium calliditatem: quare spreto sagittarum imbre fossas rranscendere, & ad murorum bases firmum pedem figere consueverunt, freti suis scutis contra telorum saxorūque tempestatem e muris dejectam. Huic tamen hostium ingenio non aquievere obſeffi, qui foraminibus per mœnia undique dispositis, seu fenestrī incisis spicula sua quaquaversum, mortemque præsentem imminentibus opposuere. Impedire tamen hac etiam arte haud poterant, ne intra muri pedem & fenestrarum hiatus collocati extra teli jactum essent. Igitur turres quadratæ muris adjectæ sunt, quævis foraminibus instructæ, e quibus latens hucusque hostis impetri facile posset. Sed incassum: nam brevi machinæ fuerunt inventæ, quas Arietes vocabant, duro e robore, ferroque in acumen desinente armatæ, quibus mœnia tanta cum vi & iectu toties repetito quatiebant, donec fracta deficerent, viam-

que oppugnantibus apertam præberent.
 huic malo ut oppugnati medelam af-
 ferrent, turres rotundas per circuitum
 disposuere, aptas ad vim arietum elu-
 dendam. Atque ista munitionis ratio
 multo seculorum usu ac veluti gentium
 consensu palmam præ reliquis obtinuit,
 donec pulvis pyrius, dira sane militiæ
 pestis, Europæ innotuit. Quippe si fides
 historiæ, an. post Christum natum 1380.
 moderante Imperii habendas Wenceslao
 Caroli IV. filio degenere Bertholdes Ni-
 ger, seu Schwartius, Friburgo Brisgoix
 oriundus ac D. Francisci Familiæ adstri-
 ctus, primus fuit qui pulveris pyrii usum
 viisque Venetos docuit, dum bello cum
 Genuensibus esissent impliciti. Hac arte
 quævis mœnium veterum moles actis cu-
 niculis partim subruta eversaque est, par-
 tim inventis quoque fistulis ferreis, &
 tormentis bellicis fulminis instar fragi-
 lium murorum loricæ dejectæ sunt.

XLVI.

Itaque vetus munitio duabus præci-
 pue partibus constabat, muris scilicet ac
 turribus. De muris seu mœnibus, quæ
 arcium urbiumque corona sunt, prolixa
 apud scriptores Polemicos mentio. Pri-
 mum omnium, quod ad eorum mate-
 riem

riem adtinet, alii fuerunt lateritii, ex-
structi nimirum e terra coctili, alii e la-
pidibus juncti, grandioribus interdum &
quadratis, quandoque brevioribus & ope-
re reticulato. Crassities & altitudo sae-
pe stupenda fuit. Ita de Pyræi muris
apud Thucydidem legitur, tanta eos
crassitie fuisse, ut geminos currus jun-
ctos vel obvios commode caperent. Ap-
pianus muros Athenis altitudine quadra-
ginta circiter cubitos æquasse tradit, faxo
quadrato instructos. Illud etiam prudens
non minus quam callidum fuerat inven-
tum, ut dupli, quandoque triplici etiam
mœnium corona consipirent oppida. Hoc
certe consilio Tyrii ab Alexandro Mace-
done obfessi duplicis muri munimentum
oppugnantibus objecere, aggere & lapi-
dibus æquato spatio, quod inter utrum-
que murum erat relicturn. Triplici au-
tem murorum intervallo, quorum quo-
que triginta cubitos altum fuit, munive-
runt se Carthaginenses adversus Roma-
nos, ut multis recenset Appianus. Qua
vero ratione urbes suas firmissimo muni-
mento directis trabibus multo aggere
convestitis tueri consueverint veteres
Galli, exposuit Julius Cæsar. (m) Jam
vero turres ad urbiū securitatem præ-
ci-

(m) *Lib. 7. Bell. Gallic.*

puas obtinebant partes, simulque mu-
 ris ornamentum & propugnantibus asy-
 lum erant. Constructæ per certa inter-
 valla a reliquo murorum ambitu promi-
 nebant, tuebanturque interjecta spatiæ,
 ac exstantibus pinnis venuste simul & fir-
 miter urbes coronabant. De illarum dis-
 positione sic loquitur Architecturæ Magi-
 ster Vitruvius (n) „ Turres sunt proje-
 „ ciendæ in exteriorem partem, ut cum
 „ ad murum hostis impetu velit appro-
 „ pinquare, a turribus dextra ac sinistra
 „ lateribus apertis telis vulneretur. For-
 „ ma iis vel quadrata vel rotunda, quia
 „ etiam polygona. „ Porro de illarum
 utilitate Vegetum (o) audiamus, ita
 differentem: „ Ambitum muri directum
 „ Veteres duci noluerunt, ne ad idus
 „ arietum esset dispositus; sed sinuosis an-
 „ fractibus jaëtis fundamentis clausere ur-
 „ bes, crebrioresque turres in ipsis angu-
 „ lis ediderunt, propterea quod si quis ad
 „ murum tali ordine constructum ve-
 „ scalas vel machinas voluerit admovere,
 „ non solum a fronte, sed etiam a late-
 „ ribus, & prope a tergo velut in sinum
 „ circumclusus opprimitur. „ Harum
 turrium creberrima fit mentio apud Hi-
 sto.

(n) Lib. 1. Cap. 5.

(o) Lib. 4. Cap. 2.

storicos antiquiores, & Poetas. Sed ne-
scio an ullæ operosiores legantur Hiero-
solymitanis illis, quas ambitiose describit
Josephus. (p) „ In muris turres erant,
„ quæ super ipsos etiam eminebant cubi-
„ tis viginti : atque eadem erat latitudo.
„ Hæc omnia solida, & iisdem lapidibus,
„ quibus muri, structa. At super hanc
„ turrium altitudinem cubicula & cœna-
„ cula erant, & cisternæ, & lati ad hæc
„ omnia gradus. Eiusmodi turres erant
„ in eo muro nonaginta ; intervalla au-
„ tem cubiti ducenti inter singulas. „
Tum miris encomiis prædicat quatuor ex
hoc numero, structas ab Herode Rege,
quibus nomina quoque imposuit sat illu-
stria, ab amicis suis & conjuge derivata,
Psephina, Hippicos, Phaselos, & Maria-
mnes. Narrationem totam his verbis
claudit. „ Ita autem juncta erant (saxa
„ scilicet tum murorum quam turrium)
„ ut unum saxonum omnia viderentur, sed
„ manu artificum in angulos & figuræ
„ divisa, „ Ex hoc Josephi testimonio pa-
tet, turribus jam antiquitus inditas fuisse
adpellationes illustres ab eorum nominin-
bus deponatas, qui consanguinitate vel
necessitate iis essent conjuncti, quorum
imperio eadem condebantur. Retinet
hunc

(p) *Lib. 6. de Bell. Judaic.*

hunc morem recens militia, quæ conspi-
cuis ad eandem formam nominibus fre-
quenter notat valla seu propugnacula ur-
bium munitarum, quæ vallorum muni-
tiones respondent turribus Antiquorum.
Nam ut supra memoratum est, pulvris
pyrii & machinarum bellicarum inventio
(fatum urbibus & incolis miserum) ad
novas muniendi artes excogitandas mili-
tare acuit ingenium. Igitur muris latius
structis densius e terra suggestus seu val-
lum adjectum fuit, quod mœnia aduersus
fulminantium machinarum impetus firma-
ret, sustentaretque: quumque frequens
experientia doceret, turres etiam in orbes
ductas relinquere spatiū triangulo non
absimile, quod oppugnantes conspectui
oppugnatorum subduceret, ansamque præ-
beret illis, toto conatu hunc sibi locum
vendicandi, utpote in quo ab omni insul-
tu immunes forent, amandatis turribus
spatiū hoc terra repleverunt, muroque
forti munire cœperunt incolæ, ita ut mu-
ri hujus facies duæ in acumen desinerent,
angulumque obſidentibus objicerent. Ve-
rum ubi nec ista methodus sufficere po-
terat ad arcendam hostium vim, faciebus
his etiam alæ fuerunt adjectæ, bellicisque
tormentis instructæ: atque ita obſtetricice
ingenio, industria & experientia militari-

sensim nata fuerunt propugnacula, & ex his integra, quæ dicimus munimenta, quibus hodie dum superbit Bellona.

§. II.

*Nova^e Munitionis partes, vocabula
& fundamenta.*

XLVII.

Itaque relictis veterum munitionum rudibus, ut ad amœnam & artificiam, quæ hodie in usu est, Architectonicae Militaris formam proprius accedamus, nosse oportet, eosdem huic scientiæ practicæ natales obtigisse, qui aliis. Primum enim hominibus simplices quasdam munitionum, quibus se suaque defendarent, ideas necessitas suggessit: tum hostium sese opponentium sagacitas ingenium acuit: nova semper inventa prioribus fuerunt addita, alia emendata, rejecta alia tanquam minus utilia, minusque fini præfixo apta: denique notatis sedulo commodis incommodisve, accedente studio & industria, ac præsertim Matheseos adipiciculo res tota in ordinem redacta est, certisque legibus circumscriptra, donec numeris omnibus absoluta militaris Architecturæ scientia priori, hocque potissimum

mum seculo in lucem prodierit, promovente laborem Martis ubique grassantis furore. Igitur Architectonica Polemica est scientia, quemcumque locum secundum certas leges adversus vim hostilem muniendi tuendique tam apte, ut pauci contra multos & illum & se ipsos tueri possint. Sunt autem duplicis generis munimenta, vocanturque ab artis hujus peritis *Regularia* & *Irregularia*. Priora sunt, in quibus omnium laterum, angularumque omnium æqualitas observatur: posteriora vero, in quibus æqualitas haec deficit. Porro universa haec scientia in tres classes dividitur, quarum prima est *Ichnographia*, quæ fit lineis simplicibus & primigeniis, estque plantæ seu vestigii totius munimenti delineatio, sic concinata, ut remota munitione velut in vestigio liceat intueri omnes illius partes secundum longitudinem. Altera est *Orthographia* seu repræsentatio partium munimenti ea ratione, qua in plano, perpendiculari ad horizontem situ, apparent ita, ut spectari possit altitudo & latitudo. Denique tertia est *Scenographia*, quæ munimenti frontem ac latera secundum opticas regulas spectanda exhibet. Scenographiam pictorum penicillo relinquit Architectura Militaris, seque duntaxat *Ichno-*

graphiæ ac Orthographiæ, velut genuinæ soboli suæ in lucem edendæ impedit. Hoc ut ordine recto fiat, præmitit omnium primo vocabula seu terminos sibi proprios ac veluti congenitos tum earum partium, quibus Opus muniti exterius, tum illarum, quibus interius componitur. Vocat autem opus interius, quod complectitur ea, quæ civitatem aut locum muniendum proxime circumdant, ut sunt propugnacula prominentia, & cortinæ recedentes, inter se & cum propugnaculis continuæ, &c. Exterius vero, quod ea continet, quæ interiori operi circum circa adjiciuntur, ut sunt fossæ, parmulæ, forcipes, opera cornuta, & coronata, &c. Termini ad opus externum spectantes partim lineis partim angulis imponuntur. Prioris generis sunt :

I. *Polygonum internum regulare* est spatium tribus, quatuor, quinque aut pluribus lineis æqualibus, seu lateribus in totidem angulos desinentibus contentum, circumscripsumque circulo minore. *Polygonum externum* est spatium illud intra quinque vg. latera ab una propugnaculi fronte seu angulo ad aliam ducta com-
pre-

prehensum, circumscriptumve circulo magiore.

Latera utriusque *polygoni* sunt linea rectæ ab uno ad alterum angulum ductæ.

Centrum & interni & externi est punctum illud, e quo utrinque circuli describuntur.

Radius seu *Semidiameter* utriusque polygoni est linea recta a centro ad angulum tum minoris tum majoris ducta.

II. *Propugnaculum* est figura rectilinea intra exterius interiusque polygonum constituta, testudinis instar exerto capite; quamvis nova muniendi methodus amandata linea recta alis auriculis præfigat. Ad hoc pertinent

Centrum propugnaculi, seu punctum anguli polygoni interioris.

Facies, seu linea recta longitudinem propugnaculi determinans, componensque cum adversa linea angulum seu frontem propugnaculi.

Ala itidem linea recta (in nova methodo curva) utrinque e cortina ad faciem usque protensa.

Linea Capitalis ab angulo munimenti interioris ad frontem propugnaculi protracta.

Semicollum seu linea a centro propugnaculi ad alam protensa, demonstransque distantiam ipsius alae a centro.

III. *Cortina*, quam chordam quoque adpellant, est illa linea, quae ab ala unius propugnaculi ad alam alterius extenditur. Hæc cæteras lineas in toto valli ambitu excedit. Ad hanc denuo spectant

Linea figens, sive defensionis primaaria, incedens ab extremitate cortinæ, ex adversa parte usque ad frontem propugnaculi.

Linea stringens seu defensionis secundaria, quæ secundum faciem propugnaculi continuata, in punctum aliquod cortinæ incidit.

Ala secunda seu ala *Cortinæ*, pars est *Cortinæ*, inter duas defensionis lineas intercepta. Posterioris generis termini, quibus angulos diversos inter se distingunt Architecti Polemici, sunt:

Angulus centri, duabus rectis lineis a centro polygoni ad duos vicinos ejusdem angulos ductis comprehensus.

Angulus polygoni seu munimenti est, qui a concurrentibus duobus polygoni lateribus efficitur.

Angulus propugnaculi a duabus faciebus sibi occurrentibus in fronte propugnaculi componitur.

Angulus defensionis exterior est, qui producitur a linea stringente & ala cortinæ. *Interior*, quem format stringens & cortina.

Angulus decussionis seu defendens nescitur e duabus lineis stringentibus, sed invicem decussantibus.

Angulus faciei & alæ e coitu facie utriusque generatur.

Angulus alæ & *cortinæ* est, qui ei iisdem rectis componitur.

Angulus lineæ capitalis, & lateris interioris polygoni resultat ex contactu ipsius lateris polygoni ac lineæ capitalis.

Angulus diminutus ex linea capitale & latere exterioris polygoni formatur.

His expositis, quæ ad opus interius & veluti viscera munimenti pertinent, grandum faciamus ad explanandos eos quoque terminos operibus ut vocant exterioribus, seu quæ propugnaculis & cornitis ad conciliandum majus robur praestrixi solent, inservientes:

I. *Fossa* est, quæ cortinas & propugnacula circum ambit, nec planum hostibus ad ea permittit accessum.

Via tecta seu statio suburbana fossæ ductum sequitur, perque totam munitiō nem evagatur. *Tecta* vocatur, quia loricam habet sibi imminentem, qua protegitur.

Basis seu pes loricæ viam tectam excipit, sensimque definit in campi superficiem.

Via militaris est spatiū ad viæ tectæ angulos relictum pro militum statione.

II. *Parmula* est moles, quæ tribus aut quinque lateribus circumscribitur, a munitione separata, & ultra fossam cortinæ objecta: duabus solummodo faciebus, aliquando etiam totidem alis instructa est.

Lunula seu *cassis* est moles tribus pariter lateribus contenta, cuius officium est propugnaculi angulum ultra fossam tueri, eidem instar scuti objecta. Nomen sortitur a similitudine cum semi-luna. Non raro tamen etiam *parmulae lunarum* adpellatione veniunt.

III. *Forcipes* sunt opera munitionis instar forcipis constructa, quæ si duos solum angulos & cornua in fronte gerant, *simplices*, si tres, *duplices* vocantur.

Opus cornutum est moles ultra fossam posita, munitaque dimidiatis ad utrumque latus propugnaculis veluti totidem cortibus, & cortina per medium expansa.

Opus coronatum suis quoque gaudet lateribus, quibus duo semipropugnacula imposita gerit: in medio autem integrum præfert, interjectis duabus utrinque continjs distinctum, atque ita coronae speciem intuentibus præbet.

XLVIII.

Quoniam vero omnis vis & robur mumentorum, quæ secundum artis regulas constructa sunt, in lineis seu lateribus, & angulis consistit, generalia quædam principia & veluti fundamenta statui

tui solent, quibus reliqua Architectonicae hujus moles superstrui secure possit. Primo autem de lineis, earumque recta dispositione, quantum ad Ichnographiam pertinet, agendum est.

Fundamentum I. Partes munimenti ita inter se conspirent, ordinenturque necessum est, ut pluribus e locis unaquaque defendi queat; secus enim fiet, ut hostis in quodam munimenti loco impune consistat, libereque cuniculos struere possit, qui sunt via proxima ad praesentem munimenti perniciem.

Fundamentum II. Omnes munimenti partes lineis rectis (excipit nova muniendo methodus alas propugnaculi, curvis in auriculae modum instructas) construantur; id quod ex priore fundamento deducitur: secus enim locus foret, qui defensione careret. Præterea omne propugnaculum in acumen desinat operaret.

Fundamentum III. Propugnacula munitionum propriam, in qua collocentur, sedem habeant non latera, sed angulos polygoni, fueruntque semper in quieta harum possessione. Ratio est rursum, ne detur pars in munitione, quæ defendi nequeat.

Fundamentum IV. Defensio quo breviore ac obliquiore via obtineri potest, eo melior est : breviore inquam via, ne aberret aut hebetetur ; obliquiore, ut hostem & a lateribus & a tergo invadat.

Fundamentum V. Linea defensionis non extendatur ultra 720. aut 750. pedes, seu non ultra 120. aut 125. perticas Gallicas, quarum una continet 6. pedes Geometricos, quippe si ultra extendatur, defensio erit nullius roboris, aut saltem imbecillis admodum. Nam hodierno more adornatur illa quam expeditissime sclopis ut vocant manualibus, quorum ictus communi calculo ultra 720. aut 750. pedes non feruntur ad metam destinatam.

Fundamentum VI. Propugnacula alis instructa defensioni sunt aptissima, tum quia hac ratione plures capiunt milites, tum quia interjacens cortina sine alis hostium conspectui nimis foret exposta.

Fundamentum VII. Præstantior est ea munitio, quæ in cortina quoque alas, quas diximus secundarias habet præ illa, quæ his destituta primariis solum gaudet, cujus rei ratio est, quia sic propugna-

gnaculum & melius & e pluribus statio-
nibus defendi potest.

Fundamentum VIII. Ala propugna-
culi ea reliquis merito antefertur, quæ
eo situ cortinæ insistit, ut cum illo com-
ponat angulum, qui obtusum inter &
acutum fere medius sit; quia si fiat an-
gulus nimium acutus, evadet inepta pro-
machinis æneis in faciem alterius pro-
pugnaculi exonerandis ad ipsius defensio-
nem: si nimium obtusus, hostilium glo-
borum i^ctibus erit exposita.

Fundamentum IX. Cortinam oportet
sine angulis recta ab uno propugnaculo
ad alterum via incedere. Vel enim
promineret in angulum externum, tum
latus unum cortinæ a propugnaculo de-
fensionem sperare non posset; vel retro-
cederet in angulum internum, tunc ala
secunda omnino destitueretur cortina,
quod septimo fundamento repugnat. Se-
quuntur fundamenta ad angulos rite con-
struendos spectantia.

Fundamentum X. Angulum propu-
gnaculi ita construere oportet, ut non
sit minor 60. gradibus, aut major 90.
Si minor sit, propugnaculum facile bel-
licarum machinarum i^ctibus dejicietur;

præterquam quod miliaribus muniis ob loci angustiam non foret aptum. Si vero major, partim alæ secundæ structuram prohibet, partim faciem propugnaculi hostium conspectui & oppugnationi plus quam par est, exponit.

Fundamentum XI. Angulus propugnaculi rectus omnium est fortissimus, qui scilicet omnium maxime hostilium machinarum furori resistit, quum hac ratione totius propugnaculi robur velut collectum irruentibus globis sese opponat.

Fundamentum XII. Angulus polygoni nequit esse acutus: nam si secus fiat, munitionis capax haud erit, quum hoc modo angulus propugnaculi fieret acutus & minor, quam fundamentum decimum requirit. Hæc vero intelligi velim de maioribus seu regiis ut vocant munitis, non de minoribus, quæ ad sistendos primos impetus construuntur.

Fundamentum XIII. Angulus defensionis interior oportet, ut non sit minor 15. gradibus. Rei hujus necessitatem satis declarant incommoda, quæ varia impenderebant propugnaculis: vel enim fierent nimis obtusa, vel nimis parva, & ita

ita inutilia, vel plus æquo ab invicem removerentur.

XLIX.

Ab Ichnographia ad Orthographiam pergamus, utpote alteram partem Architectonicae Militaris. Hæc est repræsentatio munimenti ac determinatio omnium illius membrorum ea ratione, qua in plano, perpendiculari ad horizontem situ erecta apparent, ita ut eorum altitudo simul ac latitudo spectari possit, quod proprium Orthographiæ officium est, uti Ichnographiæ longitudinem singulis munimenti partibus convenientem simplici linearum angulorumque ductu assignare, ac in conspectum producere. Etsi autem in certa altitudine ac latitudine partium struenda æque varias in opinione abeant Auctores, quam in definienda linearum angulorumque mensura, omnes tamen in id conspirant, quod non eadem altitudo & latitudo partium in majoris ac minoris formæ munimentis sit observanda. Quemadmodum autem Ichnographia, ita & Orthographia propria sibi vocabula & artis terminos vendicat. Itaque

I. *Vallum* est moles terrestris seu fugitus totum munimentum ambiens.

Erisma seu acclivitas interior est mo-
lis hujus inclinatio eam in partem, qua
civitatem respicit.

Erisma seu acclivitas exterior est in-
clinatio valli campum respiciens, post
quam relinquitur modicum intervallum
ad excipiendam terræ a vallo decidentis
ruinam.

Pes seu basis est latitudo valli infe-
rior ad horizontem composita, cui tota
moles insistit.

Altitudo valli est moles ejusdem in
altum assurgens, quam lineæ perpendicu-
lares mensurant.

Ambulacrum superius valli est spa-
tium post loricam pro tormentis, mili-
tumque stationibus relictum.

II. *Lorica superior* est moles terre-
stris vallo imposita ad tegendos milites,
eosque ab obſidentium telis & globis se-
curos reddendos: estque instructa duplīcī,
de quo prius, erismate.

Loricæ pes seu basis inferior est, cui
via horizontali moles ejusdem incum-
bit.

Loricæ latitudo est declivitas ejusdem superior campum versus respiciens.

Scabellum seu suppedaneum loricæ est exigua terræ moles vallo imposita, supra quam miles ascendit, ut commodius hostem scloporum ictibus impetat.

III. *Fossa* est locus, unde terra est effossa, ad aquam intra sinum suum recipiendam.

Ejus *acclivitas interior* est inclinatio terræ ea parte, quæ campum respicit: *exterior* versus vallum se porrigenas.

Latitudo est spatium acclivitate interiore ac exteriore interceptum.

Profunditas est descensus ejusdem infra lineam horizontalem.

IV. *Via tecta* seu cooperta est spatium ante fossam ad Loricam suburbanam usque protractum.

Lorica suburbana est moles terrestris ad tegendos milites in via tecta collacatos, quæ instruitur scabello.

Erisma adpellatur declivitas loricæ extimæ in campi superficiem desinens.

L.

Nunc præmissa vocabulorum usitatorum explicatione statuenda sunt pariter quædam fundamenta ad Orthographiam pertinentia. Non enim sufficit scire, quid qualive modo fiat, quod facendum erat, sed vel maxime, cur ita fieri oporteat.

Fundamentum I. Vallum nec sit nimis humile, nec nimium sublime, sed media teneatur via. Quippe dupli fungitur officio cum lorica sua: primum est, ut contegat illos, qui munimentum defendunt: alterum ut ex eo in hostem ignifera pestis exoneretur. Jam si justo humilius sit vallum, defensores suos potius hosti, præsertim altiorem occupanti locum, conspicuos reddet, quam ut eripiat conspectui: si vero sublimius fuerit, quam oportet, oppugnatores proprius ad vallum accedentes defensorum oculis tormentorum iætibus subducet, ita ut locum facile nanciscantur, in quo impune consistere possint.

Fundamentum II. Vallum sua latitudine complectatur 10. circiter perticas, a quibus ne multum deficiat aut eas exceedat, caveatur. Ratio est in promptu.

Si

Si enim peccetur defectu, quum sua quoque loricæ debita latitudo sit assignanda (de qua postmodum) ambulacrum valli nimis evadet angustum, nec pronam militibus hinc inde commeantibus viam præbabit: si excessu , labor ac sumtus sine utilitate augentur.

Fundamentum III. Acclivitas exterior valli sit minor acclivitate interiore. Cur enim interior æqualis altitudini ipsius valli construatur, ratio est, ut militibus facilem præbeat accessum ad subitam hostis irruptionem depellendam. Itaque nisi minor constituatur acclivitas exterior, idem hostibus emolumenntum in ejus ascensu larga velut manu & sponte offeratur.

Fundamentum IV. Argilla pro valli constructione vel maxime servit: præcipuum namque munimenti robur in vallo & fossa consistit. Seligenda igitur materia huic robori conciliando quam aptissima, quæ profecto est argilla, quum sibi fortissime cohæreat, nec pluviarum impetu in præceps agatur. Unde vallo semel ita constructo non erit opus, ut saepius reparentur damna, quibus alias continuo est obnoxium. Quodsi vero loci natura nonnisi arenosam glebam subministret, hæc

hæc teneris salicu[m] frondibus aliisque fermentis per intervalla immixtis coagm[en]tetur oportet, supra quæ longiorum cespitum frusta recto imponantur ordine, ut eo firmior evadat.

Fundamentum V. Vallum multis magni nominis Architectis Polemicis placet, si muro sit cinctum: aliis æque expertis, si e sola terra sit aggestum, præplacet. Priores his dicuntur rationibus, tum quia sic exterior acclivitas exstrui poterit minor & magis præceps, ut tam facile vallum conscendi nequeat, tum quia stabilius erit & firmius. Postiores non minus gravibus nituntur sententiæ suæ momentis: ac primo quidem, quod damnum vallo in obsidione illatum expeditius refarciri possit, si e sola terra sit aggestum. Secundo, quod muri hostilium tormentorum ictibus luxati dejectique propria ruina impleant fossam, qui alias labor improbus hostibus incumberet non sine magna temporis ac militum jactura. Necdum decisæ, sed adhuc sub judice lis hæc est.

Fundamentum VI. Propugnacula plena vacuis sunt anteferenda. Nam in illis defensio diutius extrahi potest, quum expugnato propugnaculo detur adhuc locus recel-

recessibus tumultuario opere struendis, ita ut novum veluti propugnaculum e prioris ruina nascatur.

Fundamentum VII. Lorica interior altitudine sua 6. pedes non excedat. Hanc sibi mensuram nec aliam merito postulat loricæ finis ac usus. Quippe vallo exstructo & probe firmato imponitur ad tuendos in ambulacro milites: horum autem statura, ut alterius cuiusvis hominis, vix unquam 6. pedes excedit. Quidquid ergo molis superadditur, superfluum: immo nocivum erit.

Fundamentum VIII. Loricæ latitudo sit 21. aut 23. pedum. Sic enim apta erit ad sustinendos tormentorum bellicorum globos, qui ultra 20. pedes etiam in molem terrestrem vel omnino non, vel sine viribus & damno penetrant.

Fundamentum IX. Altitudo exterior Loricæ 4. pedes non superet. Memini jam prius, loricam ita construi debere, ut ex ea milites urbem defendantes in hostem proprius accedentem scelopos commode possint exonerare, quod commodum frustra expectaretur a lorica 4. pedibus altiore, præfertim si foret latior, quum ita fossæ profundum eorum oculis & armis subduceret.

Fundamentum X. Fossæ quo latiores ac profundiores sunt, eo fortiorē redditū munitionem, longeque sunt præferendæ angustioribus, aut latioribus quidem, sed non sat profundis. Ratio palam est, quum latitudo & profunditas fossarum obsidentibus moram ac laborem non tam facile superandum, donec eas impleant, trajiciantque : obsessis vero temporis lucrum & hostiles conatus eludendi occasionem non contemnendam afferant.

Fundamentum XI. Fossæ siccæ sunt anteferendæ iis, quæ aqua replentur, majoribus in munimentis, ad quorum expugnationem diutius differendam opus est crebris adversus hostes eruptionibus, quas aquæ fossis immissæ admodum impediunt, obstructa tum egressuris tum reversuris via. Aliter se res habet in minoris formæ munitionibus, in quibus violentis his remediis uti non licet, quum defensorum numerus minor ejusmodi cum hoste congressus ac velitationes non permittat, ubi proin fossæ siccæ aqua impletis merito sunt posthabendæ. Optima est methodus, quæ hodie observatur, ubi medium fossæ aream aquæ rivulus secat, Gallis *Cunette* dictus, qui si opus

opus sit ut intumescat, immis~~s~~is exterius
aquarum auxiliaribus copiis facile id ob-
tineri potest.

Fundamentum XII. Exteriora ut vo-
cant opera munimenti quo magis ab in-
terioribus recedunt, eo plus decrescant
oportet, sintque illa his minora, ut liber
in hostes prospectus pateat obsessis, ac
scloporum & tormentorum i^ctibus via
non obstruatur,

§. III.

*Nouæ Munitio*n*is methodus.*

LI.

Duplex hæc est, scilicet una delineandi
munitionum in charta secundum
artis hujus regulas, qui labor est primus
docentium & discentium, atque ad theo-
riam pertinet: altera designandi struendi-
que ipsum munimentum in campo, estque
illorum labor, quos publicæ utilitatis ac
securitatis studium polemicis hisce operi-
bus proprius admovet, & ad praxin re-
fertur. Prima methodus præcedat neces-
se est; nam totum in charta elucet arti-
ficium, omnisque mensura & proportio
intra limites papyraceos commodissime

docetur, ac facillime discitur: quia omnem artis suæ supellecilem Architectus quam fieri potest accuratissime in charta exponat prius, antequam a facto munimento ad verum exstruendum procedat; quoque in charta expeditior, eo erit in campo felicior. Secunda totum negotium e privatis parietibus in campum apertum transfert, & quod antea brevissima charta circumscriptis, nunc immani mole campo imposita spectandum præbet. Non autem heic animus mihi est, neque instituti mei ratio permittit, leges præscribere, & ad calculos vocare omnes munimenti hujus partes, quam longæ, latæ, altæ ac profundæ debeant esse, quum ista, melius ex libris hac de re tractantibus & cuilibet obviis addiscantur, immo adisci nequeant sine figurarum & mensurarum cuivis parti debitaram exhibitione: id solum agam, ut quædam, quæ ad hanc utramque methodum seu necessaria, seu scitu digna sunt, in medium proferam. Imprimis confienda est scala ut vocant Geometrica, qua uti solent munimentorum Architecti, in 10. partes æquales divisa, adjecto superius numero cuique suo, ita ut una partium istarum denuo in alias 10. itidem æquales distinguatur. Sic una ex decem ultimis vel primis centesimam

conficiet, quam Galli vocant *Tois*. Qui vero accuratius metiri volent, ejusmodi centesimam iterum dividunt in 6. partes æquales, quarum una contineat pedem Geometricum. Omnium vero accuratisime hac in re procedunt, qui pedem unum geometricum rursus in 12. partes æquales seu digitos distinguunt, solentque adpellare perticam Gallicam, cuius modo usus est frequentissimus. Atque ita prodibit pro omni tum longitudine, tum latitudine, tum profunditate scala quam dixi geometrica, e qua rite constituta postmodum mensuræ omnes præscriptæ transferuntur in lineas illas & partes, e quibus munimentum universum componitur. Parandus quoque circulus est, cuius diameter in tot partes æquales dividi debet, quot anguli ad polygonum, sive illud sit pentagonum, sive septagonum, octogonum aut amplius, constituendum desiderantur; atque ex circuli hujus diametro rite diviso pesta omnis angulorum ratio pendet. Pro munimento autem in campo rite struendo adjici oportet tum quadrantem, aut semi aut integrum circumulum, tum funiculos aut catenas, quorum ope in vastissimo illo spatio & anguli & latera translatis e charta auctisque mensuris determinantur.

Hoc facto adparatu æque paribili ac exiguo ad ipsum opus ac praxin delineandi munimentum acceditur. Evidem munendi methodus multiplex diversis temporibus fuit, hodie autem in Europa nostra ferme duplex est, *Belgica & Gallica*, ad quas reliquæ omnes, quæ a variis ingenii, neutiquam laude sua privandis, varie sunt excogitatæ, ac in publicam lucem eruditissimis libris editæ, reduci facile possunt. Fundamenta plerisque eadem, diversa tamen mensura & partium proportio; sæpe diversa quoque operum figura. Dissert autem Belgica præcipue a Gallica, quod illa lineis ad perpendiculum ductis, hæc vero lineis curvis & angulis a recto deflectentibus in alis & faciebus tum propugnaculi tum operum aliorum construendis utatur. Belgicæ munitionis descriptionem omnium consensu optimam docuit Adamus Freitagius, cuius Architectura Militaris gallico & germanico idiomate in lucem data fuit. Verum varia in methodo Belgica detexit vitia Cognes de Pagan Gallus, & inter primos ea emendare cœpit, quamvis fatendum sit, recentiores Architectos multa, quæ peropportune hoc in negotio a Belgis ordinata sunt, hodie adhuc observare ac imitari, additis quoque multis

tis methodo Paganianæ a Russensteinio, Blondelio, aliisque. Certe octoginta & amplius alias diversorum Auctorum methodos enumerat Christophorus Sturmius in *Architectura militari & Eclectica*. Palmarum tamen præripiuisse videtur aliis in methodo gallica notissimus Vaubanius, eujus formam muniendi, licet ipse literis non prodiderit, prodiderunt & peculiari tractatu illustrarunt Abbé du Fay, & le Chevalier de Cambray. Ut riusque hujus methodi vis omnis & robur in eo consistit, quod nullum vel minimum munimenti spatium defensionis expers relinquit, quum omnes illius partes ita cohaereant, cortinæ, facies, alæ propugnaculorum ut una pars suppetias ferat alteri laboranti, ac brevissimam ubique defensionis viam sectetur. Est profecto munimentum ejusmodi, qua late patet circuitu suo, simillimum erinaceo, qui quaque ex parte ipsum invadere conceris, tela sua objicit, iisque manus hostiles arcet a corpore suo.

Designato rite & ad artis regulas construendo munimento, quantum adtinet ad opera interiora, eadem via & diligentia perendum est ad exteriora. Nam experientia docuit obsecros, munimenta solis operibus

bus internis instructa contra obsidentium violentiam & sagacitatem diu se immunit reddere non posse; non secus ac cor humanum, quam vitæ arcem provida natura validissime muniit, non solum interius nervosa quadam membrana pericardium dicta concludendo, quæ totum cor ambit, & instar fosse aquam continet; sed etiam exterius a spina dorsi ad os sternum geminos costarum ordines veluti totidem propugnacula & valla circumducendo. Igitur latius se extendit defensionis industria, & ad opera exteriora se convertit: fossas, loricas, &c. exterius circumducere, quin & ingenio sedulitatē adjuvante diversi generis munimenta minora construere cœpit, quæ festinanti in pericium hosti objiceret, illumque prævia horum expugnatione distineret, ne statim in ipsa munimenti viscera grassari posset. Horum præcipua sunt, ut dictum est, parvulae, cassides, forcipulæ, opera cornuta, & coronata. Sed præter hæc vulgata sunt alia recentioris ævi, quorum usus modo frequens est, & perquam utilis. Nam ulterius progressa Architectonicæ Militaris solertia probe perspexit, vim omnem defensionis in eo positam esse, ut obsidionis negotium magis magisque arduum red-

reddatur hosti, objectisque pluribus impedimentis ejusdem insultus diuturniori tempore distrahanter, donec vel manus auxiliaris laboranti munimento ab amico exercitu feratur, vel oppugnantes labore fracti, aut annonae defectu, tempestatisque injuriis pressi obsidionem cogantur solvere, aut saltem ut munimentum non inultum, nec sine grandi hostilis exercitus strage damnoque victori cedat. Huic fini peropportuna est visa operum exteriorum structura talis, quæ idem opus in plures veluti portiones interjectis fossis minoribus dispesceret, quarum quælibet novum semper, & integro operi vix non par negotium facesseret obsidentibus, obsessis vero una expugnata non deficeret alia, in quam se reciperent, novoque conatu sese opponere possent; qua in re sane excellet methodus Vaubanica.

Hucusque dicta de munimentis intelligenda sunt, quæ vocantur *regularia*. Verum sunt & alia, quæ dicuntur *irregularia*, seu quorum vel anguli vel latera, vel utraque simul inter se sunt inæqualia; quædam longiora & ampliora, quædam breviora & angustiora, ita ut pulcherrima illa membrorum proportio & partium conspiratio exulet ab ejus-
T 5 mo-

modi munitentis. Offert enim se non raro hoc munitionis genus adhibendi occasio tum urgente necessitate, quando civitas aut castrum, quod circumvallandum occurrit, vetustis operibus jam est instructum, sed sine lege, sine regulis, quæ rudiori ævo illi needum innoteret: tum jubente loci indole, quæ civitatem aut castrum per ambages huc illuc veluti temere discurrens, partibus hisce inæqualibus alia ob commoda vel incommoda inde oritura minui aut spoliari non patitur. Fundamentum ejusmodi locum muniendi primum ac præcipuum est, artem Architectonicam ita indulgere illi, ut quantum fieri potest, proxime ad regularem munitionem accedat, e quo tamen fundamento universali peculiares quædam regulæ deduci ac statui solent.

LII.

Porro in bene construendis munitenis vel maxime ad situm loci est attendendum. Triplex hic est: vel enim civitati aperto in campo jacenti editior collis imminet, aut omnino mons sublimior: vel regio tota quanta in terrem trem se planitem diffundit: vel mari aut fluvio navigabili urbs munienda adiacet?

jacet? primus ut dixi situs, si non colli-
aut monti arx valida imponatur, muni-
tioni non quadrat, quum hostium tor-
mentis ex alto tota pateret civitas: præ-
terea quod alia difficultas non modica se
offerat, montis acclivitatem versus ur-
bem se porrigentem rite muniendi. Ne-
que si civitas aperto undique campo cinga-
tur, situm hunc munitis congruentem
autumant nonnulli, quia ut ipsi ratioci-
nantur, gleba quam hujusmodi in locis
tellus subministrat, hostibus vel maxime
servit ad fossas ducendas, ad excitandas
pro tormentis æneis aggeres, ad vias sub-
terraneas, quibus urbi immineant, pro-
movendas; porro castris metandis ac val-
lo muniendis amplissimum heic spatium
se explicat: cuniculis quoque aptissi-
mum se præbet ac facillimum hujusce-
modi locus, offertque velut sponte sua e
circumjacentibus agris ac pratis alimen-
ta exercitui, ita ut tantundem emolu-
menti obsidentibus, quantum obsecris sub-
ministret. Contra vero se opponunt alii
non minore rationum pondere nixi: ab-
undare hunc loci situm quam optima pro-
struendis propugnaculis aliisque munitio-
num generibus gleba, aeris quoque salu-
bris & aquæ ad fontes & fossas imple-
das copia: aptissimam esse planitem, cui
mu-

munimenta ad omnes Architectonicæ regulas curatissime confecta imponantur: hostium vires vehementer heic distrahi, quum duobus aut tribus exercitibus opus habeant, si quod necesse est, prohibere velint, ne urbi obfessæ commeatus, armorum ac militum suppetiæ, unde libet, ferantur. Tertius denique loci situs, nempe munimenti ad maris aut fluvii navigabilis marginem excitati, magnis extollitur encomiis, ac merito sane. Quippe cuncta operi struendo, nec non alendo præsidio necessaria beneficio aquarum advehi possunt: modicis expensis ejusmodi locus muniri potest, ipso mari aut fluvio ex una parte civitatem fortissimi instar valli defendente, ex altera vero ad leges Architectonicas quin componatur, nihil obstante: auxiliaribus copiis facilis patet aditus: gleba in promptu, qua si quod vitium patientur propugnacula, restitui queant pristino robori: abundat aqua, ita ut etiam aquæ ductus confici possint ad inundandam totam circum regionem vicinam, qua re vel maxime retardatur, ac sæpe omnino dissipatur hostium labor omnis & conatus. Ut autem expugnetur ejusmodi mutimentum, opus est exercitu hostili sane copiosissimo partim ad vias omnes aditus-

tusque præcludendos, partim ad cingendam omni ex parte civitatem, & stationes seu lineas, quas vocant *circumvallationis*, tuendas. Denique si via terrestri expugnationem moliatur pars adversa, patet obsecsis via maritima vel fluvialis tum ad fugam si opus sit, tum ad excipiendas suppetias : si utraque simul, nimurum terra marique, duobus validis exercitibus instructus sit hostis oportet. Quamvis autem fortissimis hisce rationibus opponi possit, mare aut fluvium æque oblidientibus servire ad necessarium obsidionis adparatum advehendum, terram vero ad aggeres, fossas obliquas & valla excitanda, &c. nihilominus fateri necesse est, hujusmodi munimentorum genus omnium, quæ hucusque in medium allata sunt, aptissimum & longe præstantissimum esse ; cui sententiæ Auctores communi calculo subscribunt. Illud tamen non prætermittendum est, scilicet qua ratione pars adversa ripæ, si munimentum fluvio conterminum sit, muniri debeat. Nempe ripa cis flumen, si latitudo illius sclopi iustum non exceedat, parvula majore aut opere cornuto vel coronato instrui solet : si vero latiore alveo flumen penes civitatem incedat, munimentum præstruitur majus, hexago-

xagoni aut pentagoni pars media, ita tam
en, ut latera utrinque cornutis operi-
bus campum versus tuta reddantur; qua
urbem respicit, patulum relinquatur. De-
mum si urbs munienda sit admodum va-
sta, & grandi incolarum numero refer-
ta, qualis non raro seditionis peri-
culo solet esse obnoxia, arcem seu ca-
stellum adjicere suadet tum foris immi-
nens, tum domi metuendus hostis: eo
autem situ hoc collocandum est, quo urbi,
campo aut flumini possit imperare, ita
ut urbem inter & arcem spatium relin-
quatur vacuum, eo consilio, tum ne ci-
ves vallo se tegere, arcisque conspectui
subducere se queant, tum ut locus su-
persit tumultuariis operibus externis, si
necessitas urgeat, exstruendis. Vallum
quoque urbis ea ratione evehatur, ut
dispositis per arcem tormentis circum-
quaque pateat.



§. IV.

Obſidio ac defenſio munimenti pri-ſcis uſitata.

LIII.

Munitionis ratio hucusque explicata velut recta via nos ducit ad obſidionis defensionisque modum declarandum. Operæ pretium autem erit præmittere Priscorum morem, quem in obſidēndis munimentis expugnandisque tenuerunt; quæ res serviet non parum tum ad nostrorum temporum hisque vicinorum artes bellicas inspiciendas comparandasque, tum ad intelligendos Historicos Veteres Livium, Virgilium, Lucanum, Statium, tenebrasque illas, quas induxit vetustas, nova luce quasi addita dispellendas. Ac primo quidem de machinis priscorum hoc in negotio adhibitis dicendum. Vetustissimam earum mentionem reperio in SS. Libris (q) *Inſtruue macbi-ñas, donec capias civitatem.* Et (r) *Fe-icit Ozias Rex in Hierusalem diversi ge-neris macbiñas, quas in turribus colloca-vit, & in angulis murorum, ut mittere-*

(q) *Deuteronom. 20.*

(r) *2. Paralipom. 26.*

rent sagittas & saxa grandia. Quare mirum videtur, si non omnino a veritate alienum Diodori (s) de Sardanapalo testimonium, quem ait Niniven frustra ob-sedisse, machinarum ope destitutum: *Non enim ballistæ aut testudines, aut arietes illis temporibus adhuc reperta fuerunt.* Eupolemus certe apud Eusebium asserere non dubitat, a Mose pleraque armorum & machinarum genera fuisse re-perta. Sed & Græci ac Romani de ha-rum inventione certant, utraque parte si-bi palmam vendicante. Athenæus (t) de Romanis ait: a Græcis machinas & in-strumenta bellica cum didicissent, ipsi eos aggressi sunt. Nominatim Perichi glo-riam hanc tribuit Diodorus (u) *Stru-xit machinas primus omnium ante se, & eas quæ arietes dicuntur, & testudines Artemone Clozomeno fabricante.* Verum quei Pericles Graius primus potuerit esse, non video, cujus ætas in annum Urbis conditæ trecentesimum vigesimum inci-dit, quum tamen de Servio Tullo Roma-no (qui vixit U. C. ducentesimo vigesi-mo, integro proin seculo prior) Livius in historia sua referat: *Centurias fabrorum duos ordinavit, quæ machinas in bello fer-*

(s) Lib. 11. (t) In fine Lib. 6.

(u) Lib. 12.

ferrent. Et statim post pulsos in exilium Reges Consul Romanus anno U. C. ducentesimo quinquagesimo secundo Camerinos oppugnaturus *Arietes & scalas protulit, & omni genere oppugnandi est usus.* Non inquam video, quei Græci Romanis in hujus inventi certamine sint anteferendi. Igitur in hac re admodum dubia illud verosimile machinarum a Mose, ut diximus, inventarum & ab Israelitis adversus gentiles adhibitarum usum ab iisdem postea propagatum, ab Oriente in Occidentem quoque pervasisse, & a Græcis ac Romanis fuisse magnis auctum incrementis.

Juvat nunc inquirere in diversa machinarum istarum genera, quæ in Veterum monumentis sine ordine descripta vel potius dispersa invenio: commode vero in quatuor classes distingui posse censeo: nimirum *prima* classis est ad eluctandum in muros adhibita, uti scalæ, Tollenones, Testudines & Turres. *Secunda* continet eas, quibus urbis defensores infestabantur: fundas, catapultas, balistas. Ad *Tertiam* pertinent illæ, quibus tum ad milites mœnibus adpropinquantes protegendos, tum ad cuniculos agendos utebantur Veteres: ut crates,

vineæ, plutei, testudines, musculi. *Quarta* denique classis complectitur machinas, quibus muri solebant quassari, ac lusari, subvertique; nempe arietes ac trebæ.

Ad primam machinarum classem quod adtinet, *Scalæ* aliæ erant contextæ e funibus, & reticulatæ, aliæ e perticis ac trabibus simplices, solutiles aliæ, quæque explicari facile aptarique poterant: quædam ope rotularum mobiles, ac ponticulis superius instructæ. De scalis his Curtius meminit (x) *Dum pro se quisque certat evadere, oneravere scalas, queis non sufficientibus devoluti unicam spem Regis effellere.* *Tollenon* instrumentum fuit origine sua hydraulicum, sed usu militare factum, quo trabs transversa ita libratur, ut posteriore illius parte depressa elevaretur anterior versus muros, cujus capiti sedes lignea fortiter affixa fuerat, farata militibus, qui mox in mœnia insilirent. Hanc machinam describit multis Vegetius. (y) *Testudo* e scutis velut conflata fuit: quippe milites stipati elatis junctisque super caput clypeis subibant murum: in hos quasi supra tectum quodam eluctantibus aliis, simulque testudinem

(x) Lib. 9.

(y) Lib. 4. Cap. 21.

nem formantibus denique muri fastigium
æquabant. De hoc genere machinarum,
cujus frequentissimus erat usus, canit Lu-
canus : (z)

*Ut tamen hostiles densa testudine mu-
ros
Tecta subit virtus , armis innexa
priores
Arma ferunt , galeamque extensus
protegit umbo.*

Turres partim mobiles erant, partim im-
mobiles: posterioris generis fuerunt tum
illæ, quæ propugnaculorum loco muni-
mentis serviebant, tum eæ, quæ certis
mœnium intervallis struebantur ab obsi-
dentibus, dum urbem obseßam undique
velut feram inter retia arcte conclude-
bant: prioris vero ligneæ & currules,
quas suprema contignatione militibus re-
fertas, media autem ponticulo, qui su-
bito demitti poterat, ad muros occu-
pandos instructas, infima vero forti arie-
te ad mœnia quatianda munitas obseßæ
urbi admovebant. Quantum incusserint
hostibus metum hæ turres, describit ipse,
qui

(z) *Lib. 3.*

qui adhibuit Julius Cæsar (a) in bello adversus Gallos gesto.

Ad secundam machinarum classem pertinet primo *Funda*, unde Funditores, quibus postremum in acie locum ab hoste remotum assignat Ælianuſ, quoniam eminus funda pugnat: sed in militia Romana censebantur inter *Leves*, ac proinde inter primos dimicabant ordines. Eximia vis erat & robur fundarum, præfertim quibus ſæpius in orbem actis non saxa duntaxat, sed & globi, pilæ ac glandes plumbeæ projiciebantur, teste Virgilio : (b)

*Stridentem fundam positis Mezentius
armis*

*Ipſe ter adducta circum caput egit
babena,*

*Et media adversi liquefacto tempora
plumbo*

*Diffidit, ac multa porrectum extendit
arena.*

De *balistis* ac *catapultis* variant inter se Scriptores priſci. Ante Cæſarem catapultis sagittas emittendas, balistis lapides pro-

(a) *Lib. 2.*

(b) *Lib. 3. Aeneid.*

projiciendos tribuerunt, factō inter eas
discrimine: postmodum frequenter legi-
mus e catapultis lapides, e balistis vero
jacula in obseffos contorta fuisse: cætera
fundæ semper vim & impetum præsta-
bat utraque. Ingens erat machinarum
istarum virtus; ita ut lapides fere cen-
tenum pondo, aut talentum, quod plus
ponderis conficit, jacerent; quamobrem
dictas affirmat Nonius balistas *centena-
rias*, & *talentarias*. *Iulus* ait Josephus
Judaicus (c) non modo *iis*, quibus pri-
mis incidebat, sed & longe retrorsum
stantibus erat intollerabilis. Jacula quo-
que plura simul & integras hastas evome-
bant secuta non unius solum, sed plurium
strage, uti testatur Lucanus:

*Neque enim solis excussa lacertis
Lancea, sed tenso balistæ turbine
raptæ
Haud unum contenta latus transfire
quiescit.*

Vim tantam debebant rotis ac trochleis,
quarum multiplex ordo, sibique succe-
dens: his funes implicati fortiter ten-
de-

(c) *Lib. 6. excid.*

debant machinam, quæ aliquamdiu in aere librata, ubi remotis subito repagulis rotæ summa celeritate decurrebant, valido correpta impetu lapides, globos, sagittas sinu suo contentas in altum ejaculabatur.

Tertia in classe locum occupabant *Crates*, *Vineæ* ac *Plutei*, &c. Atque hæ fuerunt machinæ, quibus tegebantur fossores aliique, ac protegebantur a telis & saxis, dum interea domunculis hisce per rotas continuo promotis fossores muris aliisque operibus munitis ad ea subrūenda adpropinquarent, ut denuo canit *Lucanus*:

Tunc adoperta levi præcedit vinea terra.

Quartam classem constituebant *Aries* & *Terebra*, machinæ quæ muris extremam perniciem adferebant. *Aries* autem nominis sui etymologiam, uti *Vegetius* docet, obtinuit vel quod habeat frontem durissimam, qua muros diruit, vel quoniam retrocedit more arietis, ut vehementiore impetu rediens feriat. *Triplex* illius erat conditio: prima, dum in humeros sublatum milites sustinebant, ac teto lacertorum conatu in adversa mœnia

nia impellebant. Ita apud Lucanum miles glriosus sese jactabat : (d)

Tu quoscunque voles in planum effundere muros,

His aries actus disperget saxa lacertis.

Ex hac rudi etiamnum & simplici machina natus est brevi aries compositus, qui ferreum præferebat caput, ferreis quoque cornibus & præacuto rictu præditum. Hic non jam lacertis militum, sed funibus e trabe valida suspensus librabatur, minore nisu quidem, sed impetu ac damno majore. Tertium genus erat aries testudini seu domunculae ligneæ inclusus, ac inde summa vi in muros excussus. Aliud præterea genus fuit muris infestum, nempe *Terebra*, qua utebantur Veteres Herone teste ad perforandos lateritios muros urbium oblessarum, foraminibus postea pice & resina repletis, quæ igne concepto mœnium campages luxabant.

LIV.

Descriptis Veterum machinis bellicis plana est, strataque via ad methodum ex-

(d) *Lib. I.*

explicandam, qua ævo illo munimenta
tum ab hostibus obsideri, tum ab incolis
adversus vim illatam defendi solebant.
Duplex autem oppugnandi genus usuve-
niebat, subita scilicet, & diurna. Pri-
ma, quæ fere tumultuaria, cum impetu
& sine lege fuit instituta, dicebaturque
corona, unde natæ sunt phrasæ illæ pa-
sim ab Auctoribus receptæ: *corona ur-
bem cingere*, *corona capere*. Hunc in
sensum Silius :

*Mænia flexa sinu, spissa vallata co-
rona*

*Alligat, & telis in morem indaginis
ambit.*

Corona hæc ita instruebatur, ut dupli-
vel triplici ambitu destinata oppugnatio-
ni urbs cingeretur, peditatu una vel du-
plici serie primum secundumve locum
versus urbem occupante, scalisque ac te-
studinibus præsidiarium militem urgente;
equitatu vero extra hos ordines relicto par-
tim ad agrum circumspectandum, invigilan-
dumque, si fors auxiliares copiæ labo-
ranti civitati succurrere tentarent, par-
tim ad pedites communiendos. Non ob-
scure hoc indicat Josephus in descriptio-
ne obsidionis, qua Josaphata civitas pre-
me-

mebatur : *Duplici ait peditum corona urbem cingunt, & tertiam seriem equitum exterius ponunt.* Tota coronæ vis in ardore militum & celeritate aggressionis versabatur. Idcirco scalæ solummodo & scuta in testudinem densata fuerunt adhibita ; neque enim in re præcipiti ullus erat relictus locus machinis gravioribus tum advehendis tum instruendis. Quippe non raro civitatis incolæ solo terrorifico coronæ hujus aspectu consternatis fractisque animis extremam vim haud expectantes dditionem fecere. Alterum obsidionis genus fuit diuturnius , magis operosum , & bellicis instrumentis instrutius : quod subita illa metu & terrore felicius, hoc secunda ista temporis diuturnitate & armorum adparatu , ac oppugnandi arte laboreque certius obtinuit. Omnium primus erat hostium foris conatus, ut civitas obsidenda vallo cingeretur, ac munitionibus in orbem ductis omnis tum commeatui, tum suppetiis præcludeatur aditus. Hinc fossas & vallum e humo egesta construxere, ac loricis impositis per intervalla turrem probe munitas disposuere duplici ordine, ita ut pars una civitatem, altera vicinos agros respiceret, eo consilio , ut tum adversus obfessorum eruptionem , tum auxiliarium copiarum

forte adventantium impetum exercitus
esset securus, qui binas inter munitiones
istas divisis stationibus & castellis conclu-
sus vires suas omnes obsidioni urgenda
impendit. Has exercebat primum pro-
cul fundis, balistis & catapultis, sagitta-
rum saxorum & integro missilium imbre
in civitatem quaquaversum effuso, ne qua-
locus eruptioni pateret: tum proprius ac-
cedentes, suggestus & aggeres excitabant,
quibus turres impositæ ad impetendos
eminus defensores, tuendosque illos, qui
cratum ac testudinum ope ad agendos
cuniculos sensim appropinquavere. Ubi
spatium civitati proximum fuit occupa-
tum, successerunt plutei, vineæ ac teltu-
dines ligneæ ad murorum fundamenta sub-
ruenda, arietes ac terebræ ad eos quassan-
dos dejiciendosque: turres mobiles ac ver-
satiles ad deturbandos præfidiarios: deni-
que si civitas obsessa etiamnum potestati
obsidentium se permittere recusabat, te-
studines scutariæ ac scalæ muris confen-
dendis superandisque adplicatae fuerunt.
Neque solum terræ, aquæ & aeris elemen-
ta, sed & ignis in subsidium vacatus est.
Multiplex flammæ vomentium machina-
rum genus expediebatur: faces commu-
nes e picea larice, aut abiete manu fun-
daque jaciebant in moles propinquas: mal-
leo-

leolis tum iis, qui e manipulis spartheis pice coniectis, tum illis, qui e sagitta cannea spiculum inter & arundinem ventre ignibus gradio instructa componebantur, in muros sævitum est, de quibus Vegetius, *ubi adhæserint, quia ardentes veniunt, omnia conflagrant*: hami quoque aut unci ferrei sive murices toti igniti volitabant, infigebanturque mœnium fastigiis: e catapultis etiam falariae seu tela missilia pice ac sulphure stupaque ardente obducta ejectæ fuerunt. Admodum nociva pestis erat horum ignium; nam aquis conspersi majorem excitabantflammam, & latius spargebatur incendium.

Verum oblessis quoque non deerant arma & ingenium, quibus obsidentium insultus, machinas & molimina qua eludere, qua dissipare ac evertere haud segniter contendebant. Præter arma utrisque communia, tela, fundas, saxa & faces, in eos qui scalarum aut testudinum ope in mænia eluctari satagebant, trabes, dolia, quin & lapides molares dejecere. *Nonnulli oppugnantium*, ait Ammianus (e) *sub oneribus ipsis obruebantur, contratis per pronum saxis, & columnarum fræ*

fragmentis & cylindris. Oleum fervens quoque e vasis abeneis, picem, bitumen accensum, arenam ignitam, & plumbum liquefactum effundebant, qua re testudo e scutis militum conflata, flamma calore que per rimas sese insinuante, tota saepius repente soluta fuit. Adversus ageres & suggestus tormentis onustos cuniculis & igne in excavatis terrae latibris supposito, objectisque aliis aggeribus certabant. In turres injectæ faces, trabes incussæ, quin & turribus turres armatis militibus refertæ fuerunt oppositæ. Non minus ut missilium igniumque vires innoxias redderent obfessi, coriis, ciliciis ac velis usi sunt, quibus murorum fenestræ, turrium fastigia, seque ipsos contebant, atque ita illarum vim molliter excipiebant frangebantque. Demum ultimam mœniūm ruinam, arietem, ut amolirentur, laqueis ex alto demissis, & in ejus collum injectis attraxere, aut dento in modum forficis ferro, quod Lupum vocarunt, comprehensum in partem obliquam detrusere. Murorum biatus, si alii cubi impacto ariete patebant, illorum e ruina consurgente alio intus exstructo recens muro supplebant, ita ut si hostis penetrare tentaverit, binos intra parietes velut de-

decipula conclusus & subita irruptione prostratus fuerit.

§. V.

Obsidio & Defensio nostris temporibus usitata.

LV.

Perdurasset dubio procul ad nostra usque tempora bellicarum machinarum usus, quem Veteres tenuere, cum suis vel incrementis vel decrementis ad nos transmissus, nisi pulveris pyrii seu fulminantis stupendum sane inventum subito & velut forte fortuna intercessisset. Invehitur in ejus Auctorem, sibi equidem ignotum, non ignobilis ævo suo scriptor Pollidorus Vergilius, Urbinas, (f) gravissimis verbis, dignumque censet, ut cum Perillo primus hujusmodi tormentum in se experiri cogeretur. Summe noxiū quoque hoc inventum ac fatale credit militiæ: *ex quo jam ait usuvenit, ut in ea hoc tempore ferme omnis peditum, omnis equestris splendor, omnis denique virtus indecorè consistat, jaceat, obtorpeat.* Sed parcus ista: nam virtus bellica, præfertim ars Architectonicæ Militaris, qua ho-

(f) *Lib. 3. de rer. inuent.*

hodie utimur, si non robore virium, profecto arte, ingenio ac dexteritate longe superat veterem; nec puto majorem uribus stragem, mortisque genus minus decorum & aspectu magis horridum inferri hominibus hac ætate nostra fistulis ferreis ac tormentis æneis, globisque ignivomis inde projectis, quam olim lapidum ac sagittarum imbre, & immani saxorum mole e fundis, catapultis atque balistis vibrata: ad robur corporis quod adtinet, fateor, ea non amplius vivimus tempora, ubi stipitibus duris, sudibusque, præustis pugnatur, aut de quibus canit Lucretius:

*Arma antiqua manus, ungues, dentes-
que fuerunt.*

Cætera obsidionales hujus ævi machinas in tres classes dispertior: primam, quarum usus est, dum obsidentes munimento sensim appropinquant: alteram, quum id oppugnant: tertiam denique, dum ad ditionem cogunt, aut extremo cœnatu adhibito expugnant. Ad primam classem præ reliquis pertinent *castrorum metatio ac munitio*, quæ in orbem ducitur, & velut corona urbem exitio destinatam circumdat. Munitionis hujus duplex ratio

tio est, tum qua urbem obseffam, tum
qua campum respicit: eadem tamen me-
thodo perficitur. Nam humus circumqua-
que egeritur, ita ut vallum & loricam,
simul ac fossam præbeat, hoc tamen di-
scrimine, ut versus mœnia fossa sequatur
vallum, vocaturque tunc *linea contraval-
lationis*: campum versus autem vallum
excipiat fossa, adpellaturque *linea circum-
vallationis*: Opus hoc variæ per inter-
valla distinguunt parvæ munitiones tribus
aut quatuor angulis conclusæ, stellæ-
que aut forcipis formam præferentes, quæ
partim ad arcendos præsidiarios milites ex
urbe erumpentes, & castra adversus ho-
stem foris imminentem tuenda, partim
ad asylum obsidentibus, si periculum ur-
geat, præbendum serviunt. Si munimen-
tum secus flumen, aut non procul ab eo
sit exstructum, castra locantur ita, ut con-
tinens cis & ultra ponte navalí jungatur
opportuno, quo miles & annona quaqua-
versum distribui possit, loco. Primus
post castra circum fixa munitaque labor
sunt *accessus* seu *fossæ obfidionales*: egeri-
tur humus ad eam altitudinem, quæ te-
gere possit militem ac abscondere obsef-
forum oculis vigilantibus: scinditur au-
tem in diversa tellus, fiuntque ambages
initio sat multæ ac late a se invicem dis-
titæ,

sitæ, ita tamen ut fossæ hinc inde in unam confluant, quam lineam *Communicationis* vocant, ut miles ultro citroque secure possit commeare. Cauda fossæ est ejusdem introitus non procul a castris oppugnantium, largus & late patens: caput vero extremitas fossæ, qua munimentum respicit, quoque reliquæ fossæ sibi approxinquentes in angustias coeunt. *Suggestus tormentorum* curulum est locus e gleba effossa constructus, & campestri planitiæ impositus, in quo aut tormenta bellica aut mortaria ignivoma ordine suo distribuuntur, quibus simul urbis mœnia infestantur, simul milites per fossas obsidionales iis imminentes adversus hostium vim & impetum defenduntur. Ne vero nudæ conspectui pateant hæ belli machinæ, illique qui dirigendis iis præciuntur, vel cortina ex humo fenestræ instructa, vel metellæ terra repletæ objiciuntur. Munitio in fossam excurrens seu *Receptus militaris* est propugnaculum parvum lorica & fossa circumdate, quo accessuum obsidionalium fines extremi muniuntur. Hoc securum præbet in fossas introitum, & tutum, si opus sit, retrocedere coactis asylum. Si jam antiquis nova conferre placeat, quis non videt, contra & circumvallationis, ut ajunt, lineas

neas jam olim diversa quidem forma, eodem tamen usu & fine castris circumduetas fuisse, dispositis per intervalla turribus, ut nunc varii generis minoribus munitionum operibus? Fossæ obsidionales ævi recentioris inventum sunt, quum Veteres cratibus tecti, aut testudinibus inclusi, vel turribus impositi via plana muris adpropinquarent: parietes tamen lignei cum cratibus & pluteis comparari merito possunt. Suggestus & aggeres tormentis bellicis onusti maxime affines sunt priscorum turribus, urbi machinarum latentium ope admotis, e quibus diverso missilium genere dispositi per muros praesidiarii milites lacescebantur.

Alteram classem occupant ea, quibus moenia & hostis impetitur: forma quidem his varia, sed officium idem, nempe ut ignem evomant. *Tormentum bellicum* est machina, quæ globos ferreos, plumbeos & lapides vi pulveris pyrii ejaculatur: diversitas eorum e diametris & librarum pondere, quo globi gaudent, colligitur: maxima vocantur *Canones*, minora *Colubrinæ*, minima campestria seu castrensis *Serpentinellæ*. Alterum martis fulminantis genus est *mortarium ignivomum*, machina sane formidanda,

quæ prægrandes globos incendiarios jactu parabolico in auras evibrat, cum ingenti circumquaque strage, quum descenderint, mox dissilientes. Fulmina quæ duabus his, scilicet tormentorum & mortariorum, machinis jactitantur, sunt variæ fortis: veluti *pyroboli* grandiores seu pilæ pyrotechnicæ: (vulgo *Bombæ*) *pyroboli* *bamati* (*carcasses*) qui muris aut tectis, in quæ incident, affixi stragem late patentem edunt, ubi disruptur: *grando pyrotechnica* (*cartatsches*) est conus integer vel truncatus, e papyro aut linteo crassiore, vel lamina ferrea confitus, & pulvere nitrato atque catenis, glandibus plumbeis aut clavis onustus, dira pestis, & omnem in partem quacunque fertur, damno ingenti se se difundens: *Pila granata* est globus ferreus, cupreus aut vitreus, pulvere pyro repletus, & tubo ligneo, qui materiem incendiis aptam sinu suo concludit instructus: pilarum simplicium aliæ cæteris necuntur, aliæ ferrea figuntur pertica, ut tormentis ejaculatæ latius noceant. Secundæ hujus classis machinæ, quas modo recensui, Veterum fundis, catapultis, balistis & arietibus, quibus muros quassabant, oppido affines sunt, hoc tamen discrimine, quod pulveris pyri

rii ope citius ac certius destinata munimentis pernicies obtineatur. Profecto hac ætate nostra res pyrotechnica perfectio-
nis apicem attigisse visa est, ita ut mi-
nora, de quibus dixi tormenta, ignem
vomere docta fuerint a Porussis intra
unum temporis *minutum*, quod vocant
Mathematici, decem vel quindecim: ab
Anglis in navibus octo vel decem vi-
cibus.

Tertiam classem illæ constituunt ma-
chinæ, quæ ad extremum obseßæ urbi
exitium inferendum ingeniosa in damnum
Bellonæ solertia excogitavit. Ex his
quædam ad propugnacula subruenda,
aliæ ad assultum decretorum seu im-
pressionem faciendam serviantur. Istorum
e numero sunt *Nuncii pyrotechnici*, qui-
bus varia igneorum missilium genera ja-
ciuntur, spargunturque in mœnia & ho-
stes: *corona muralis*, *dolium pyrotechni-
cum*, *trabs ignivoma* rotis instructa, quæ
omnes machinæ pilis minoribus grana-
tis, pyrobolis, aliisque materiis igni con-
cipiendo fundendoque aptis armantur,
& vel injiciuntur, vel admoventur ob-
seßæ urbis mœnibus: denique *pylocla-
strum* seu tormentum insitum (*Petarda*)
quod olla ænea pulvere pyro-

intus fœta constat, & duri roboris asseri altum infigitur, appenditurque portis clausis, ad eas ubi ignem concepit olla, diffingendas. Aliæ machinæ sunt, quarum usus præcipuus est ad implendas fossas munimento circumductas, & cuniculos agendos, uti *fasces* seu *crates* obfisionales, *Vinea* seu *pergula cunicularis*, quæ ponti super fossam transversam strato imposita propugnaculo admovetur, ut ea tecti fossores securè possint cuniculum agere, qui confici solet excavando inferius propugnaculi faciem in modum cameræ, cui postea inseritur cista seu *arcula cunicularis* pulvere pyrio & pilis granatis referta, e qua tubulus angustus omni aditu circum undique diligenter occluso porrigitur, per quem vulcanus immitti, ac pulvis pyrius cum reliqua pyrobolorum appendice succendi queat. Non raro contingit, ut obfessis occulti conatus isti suboleant, & cuniculo detecto, aliaque terrestri fossa contra nitentes latenter cuniculi cistam auferant, obfidentibus spe sua delusis. Atque hæc tertia machinarum classis plane simillima priscorum moribus est, si missiles ignes nostros cum malleolis, muricibus hamatis, & falaricis conferamus. Vinea certe tota e Veterum ar-

mamentario depromta, & velut hæreditaria successione ad nos transmissa videtur.

LVI.

Exposito machinarum adparatu sane formidando ad ipsam oppugnationis & expugnationis methodum nos accingamus. Ubi exercitus hostilis in urbis ob-sidendæ conspectum venit, primus uti dictum est, labor est castra metari munireque, queis locus felicitur ab urbe tanto remotus intervallo, quantum securitas a tormentorum hostilium furore postulat. In plures ea stationes distribuuntur, in quarum aliqua collocantur tormenta & reliqua pyrotechnicæ materiæ penus: in alia equitatus peditatusque: alibi tentoria pro supremo Militiæ Præfecto, reliquisque belliducibus majorum gentium eriguntur: parte alia commeatrus solicite custoditur: suus quoque locus impedimentis aliisque ad obsidionis negotium ususque quotidianos necessariis adsignatur. Eo hæc ordine fiunt, ut omnis ad urbem aditus præcludatur, ne militis præsidiarii numerus augeri, nec commeatus cum bellico adparatu adveni queat. Tum si e re visum fuerit, statim muniantur castra tam interioribus

quam exterioribus, quas dixi, *circumvallationum* lineis. Exteriore haud equidem opus est, si metus absit auxiliarium copiarum luctanti munimento submittendarum: neque interiore, si obsessorum tam exiguus fuerit numerus, ut & animus ipsis in castra hostium excurrendi velitandique defuturus esse credatur.


Confecto castrorum negotio manus obsidionis labori propior admovetur. Notis beneficio militum manipuli aliquot loco a via cooperta 70. aut 75. perticas remoto collocati terram fodere obliqua versus munimenti faciem via incipiunt: succedentibus itentidem aliis dilatatur hæc fossa, ut non solum hominibus, sed & tormentis bellicis cum appendice sua iter commodum pateat. Ad prima accessuum limina & anfractus excitantur parva munimenta, quæ *receptus* vocant, e quibus vel milites in insidiis collocati possint fossoribus succurrere, vel hi errumpentium præfidiariorum vi sustinendæ impares se velut in asylum in ea recipere queant. Accessus vero ipsi varios in mæandros ducti pluribus lineis inter se communicantibus junguntur. Tum passim e terra egesta pro tormentis & mortariis bellicis aggeres

res elevantur, muniunturque loricis e tellure effossa repletis, ut ejectis inde missilibus vicina munimenti opera laces- siri ac sensim dirui possint. Quamprimum vero post varias modo his modo illis partibus fortunæ faventis vicissitudines ad viam coopertam perventum est, pilarum granatarum imbre ex alto urgenter obseSSI ad eam deferendam, & per *sappam*, ut adpellant, seu fossam rectam ac latam versus propugnaculi faciem ductam, & virgultorum fascibus aggestaque humo coopertam in principe muniti fossam descenditur. Tum enimvero res serio agitur: tormentis undique dispositis quatitur propugnaculum ruinæ destinatum, quæ si ad votum non succedat, vinea paullo ante descripta in subsidium vocatur, agunturque cuniculi sub terra, quibus moles imposita subruatur, ita ut ingentes murorum vallique hiatus denique pateant, viamque sternant hosti junctis viribus irruenti. Plerumque tamen contingit, ut versante oculos præsente rerum discrimine præsidarius miles una cum oppidanis extremam vim non exspectent, sed propositas a viatore leges accipient, ac munimenti de ditionem sponte faciant, consuetis mili-

tiæ honoribus excipiendi, dimittendique:
nam virtus & in hoste probatur.

Interea vero nisi defensorum civiumque
accedat ignavia, caro ut plurimum stat
expugnatæ urbis gloria. Nam obsessi ur-
gente foris hoste neutiquam otiantur,
sed molimina cuncta pro viribus irrita
conantur reddere. Quippe in ipso sta-
tim obsidionis limine tormentis per pro-
pugnacula & valla dispositis explosisque
arcere conantur hostem, ita ut nonnisi
remotissimo ab urbe loco castra sua me-
tari audeat, qua re duplex obsessis
commodum, obſidentibus vero damnum
accedit; nimirum *circumvallationis* opus
majoribus constat impensis, & accessus
ipse pluribus molestiis periculisque fit ob-
noxius. Ubi sensim adpropinquat hostis,
& fossas obsidionales molitur, effundit
se miles præsidiarius manipulatim, laces-
sit fossores, missilibus arcet, diruit cœ-
ptum opus, & in hostilium tormento-
rum fauces clavos adigit, ita ut officio
suo deinceps fungi nequeant. Crebris
quoque velitationibus oppugnantium nu-
merum minuunt: præcipue vero pilis
granatis majoribus in suggestus hostiles
detonant: fossas injectis diversi generis
machinis pyrotechnicis ubique infestas
red-

reddunt : ipsi vero ut a pilis ignivomis in ambulacrum delapsis securos se prætent, vel in cryptas infra terram fornicibus de super tectas sese recipiunt, vel pone loricas transversas humi se prosternunt, sicque dissilientium pilarum furorem eludunt. Quodsi hostis vineam struere, ac in ipsa munimenti viscera grassari incipiat, ejus molimina tormentorum ictibus & variis nocivis ignibus ex alto demissis frustrari conantur: non raro hostes in lorica declivi, aut via cooperta, vel operibus externis jam constitutos, jamque propemodum viatores, cuniculorum ope in aera dispergunt: cuniculos quoque ad subruenda propugnacula conditos detegere laborant, sublatoque furtim pulvere pyrio inanes relinquunt. Tandem operibus dirutis ultima spes in recessibus opere tumultuario construendis supereft. Si vero hæc omnia ad obsidionis vim avertendam aut frangendam non sufficient, nil restat, quam ut ditionem meditentur obfessi, vel honestas pacis conditiones ineundo, vel victoris arbitrio munimentum relinquendo. Ita magno labore perditur, quod magnis sumtibus excitatur, & nobile opus Architecturæ Polemicæ propriis involvitur ruinis, ac splendido, quod sibi paravit ipsa, tumulo infertur.



CAPUT VII.
A S T R O N O M I A.
§. I.

*Publica hujus scientiæ domicilia,
& præclara inventa.*

LVII.

Astronomiam tum natalium antiquitate, tum generis splendore omnium profanarum scientiarum principem esse, nemo est qui ausit inficiari. Natales enim nocta est coævos ipsi mundo condito, primisque illius incolis, quibus non alia ratione, quam e siderum cursu petitæ diei & noctis, omnisque alterius temporis intervalla definire ac distingue re licuit, ipso rerum Conditore ita jubente: (g) *Fiant luminavia in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem,* *& sint*

(g) *Genes. C. x.*

& sint in signa & tempora, & dies & annos. Cognatam hanc mortalibus scientiam ipsa humani corporis fabrica prodit, quum supremus rerum Opifex Deus vel Ovidio teste (h)

*Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cælumque
tueri
Jussit, & erectos ad sidera tollere
vultus.*

Illustre autem præ cæteris genus Astronomiæ satis se ipsum manifestat splendore suo ; dum enim aliæ profanæ scientiæ inferiora quasi subsellia occupant, scrutandis naturæ arcanis in aere, aqua vel terra intentæ, hæc velut despiciendo reliquas in altum eluētatur, sidereoque sese immiscet choro, cum fulgentibus astris sermocinatur, & ipsis pene Deorum atriis adpropinquat. Unde legimus apud Claudianum, Jovem amarorisu conquestum fuisse adversus præstissimum Astronomiæ cultorem, Archimedem, quod Siculus iste senex construendo sphæram, in qua & siderum sta-

(h) *Lib. I. Metamorph.*

stationes, & variationes ac motus eorumdem tam miro artificio spectandos exhibuerit, ut opus cœlo æmulum videatur, quod inquam in sua & poli jura involaverit, & mundi ipsius regimen vendicare sibi visus fuerit. Verum quoniam de Astronomiæ origine, progres-
su ac prosperis ejus incrementis ad hoc usque tempus continuatis late disseruerim, quando de Matheſeoſ disciplina universim in libri hujus limine agebam (prioribus enim seculis soli fere illi nuncupabantur Mathematici, qui Astronomiæ operam dederunt) nunc duo dun-
taxat capita hoc in loco præmittere con-
ſtitui, quæ ampliori serviunt eruditioni,
ſcilicet publicum de hac scientia bene
merendi studium apud varias nationes
& Viros Principes, atque præclara illius
inventa in orbis literati theatrum pro-
ducta.

Primum facile produnt nova hisce
ultimis seculis, ſumtuofissimaque Domi-
cilia maximis regnorum & Principum
impensis ædificata, Divæque Uraniæ con-
ſecrata: Caffellis circa annum 1570. Gui-
lielmus IV. Haffiæ Comes, vulgo Land-
gravius, ſpeculam ſideribus dimetiendis
observandisque ſervitaram in ſummo ar-
cis

cis cacumine struxit, & variis machinis,
quæ *Quadrantes*, *Sextantes*, *Torquetum*
&c. vocant Astronomi, ex orichalco ar-
te magna elaboratis; item horologiis
præstantissimis exornavit. Observationes
cœlestium phœnomenorum heic sub dio-
institutas Tycho maximi faciebat. Ve-
terem instauravit, vel potius novam con-
didit anno 1714. Carolus I. ejusdem
Hassiae Comes, Princeps artium libera-
lium tam amans, quam peritus.

Friderici II. Daniæ Regis auspiciis in
Huena, seu Venusia insula celeberrimam
arcem Uranoburgum dictam Tycho Bra-
cheus sublimi loco constituit: ædificii for-
ma quadrata; latus quodvis 60. circiter
pedum: portæ ortum & occasum spe-
ctabant. His ad meridiem & boream
duas turres rotundas 32. pedum dia-
metro præditas opposuit, observationibus
instituendis perquam idoneas. Totius
ædificii partes ipse delineavit curatius,
descripsitque in Astronomiæ instauratæ
Mechanica. Ingentem ibi organorum
pretiosissimorum viginti & octo adpara-
tum collocavit, ita ut magnitudine, so-
liditate, laboreque exquisito facile om-
nia alia vinceret, quæ hucusque sideri-
bus scrutandis fuerunt adhibita: in hoc
opus

opus ultra centum florenorum millia fuis-
se insumpta testatur ipse Tycho.

Anno 1656. in ipsa Daniæ metropo-
li Hafnia regiis Christiani IV. sumtibus
magnifica turris surrexit, cuius vertice
specula fuit imposita, variis instrumen-
tis Astronomicis exornata, etiam illis,
quæ a Tychone quondam fabrefacta fue-
runt, magnum tamen in fatali incendio,
quod anno 1728. exortum fuit, detri-
mentum paſſa.

Carolus II. Magnæ Britanniæ Rex,
fundata anno 1660. Londini scientiarum
Societate de Liberalibus artibus & scien-
tiis, præsertim Astronomia, jam opti-
me meritus sexennio post consilio Jonæ
Moore, Equitis, novas ædes Astronomicis
Nauticisque laboribus servituras in amœ-
nissimo colle prope Grenovicum oppi-
dum ad ripam Tamesis situm construi
jussit. In his egregia machinarum sup-
pelleatile instructis Flamstedius ac Ed-
mundus Hallejus institutis quamplurimis
observationibus rem Astronomicam egregie
promoverunt.

Parisiis anno 1670. arx splendidissi-
ma (*Observatorium* vocant) ad fasti-
gium

gium perducta fuit, & Uraniæ sacris solemnni ritu dicata. Ex eo, quo Regia specula stetit, tempore Astronomia novis velut luminibus illustrari cœpit. Heic enim satellitum Jovis theoriæ confectæ, ac motus siderum horum in tabulas relati: heic Saturni comitatus detectus: parallaxis Martis, ipsiusque uti existimant Solis patefacta: *refractiones* siderum correctæ, lunæque facies quam emendatissime delineata: heic ingens observationum ad Planetas, Cometas, Fixasque spectantium thesaurus est collectus. Exstructa est specula hæc jussu & sumtibus Ludovici XIV. prope S. Jacobi suburbium editiore ad plagam Meridionalem loco, totumque ædificium quadratis complanatisque lapidibus constat: figura gaudet ad angulos rectos composta, cuius longius latus quindecim hexapedarum ab ortu in occasum, brevius vero hexapedarum duodecim a Septentrione in Meridiem porrigitur. Duas numerat contignationes fornice clausas, quibus imposita planities lapide strata, septoque lapideo circumdata, observationibus diurnis nocturnisque serviens: infimus autem locus laboribus chymicis est destinatus. Formam operis invenit Claudio Perraltus Medicus & Architec-

ctus præstantissimus. Uranoscopium variis & exquisitissimis organis instructum superbit, præcipue telescopiis, quorum nonnulla ad 60. pedes & amplius producuntur. In angulis, tam Orientali quam Occidentali turres octogonæ surgunt, in quibus duo semper præsto sunt, qui sua quivis in turri uranicis laboribus vacant, nocturno præsertim tempore. Primus qui eam habitare cœpit, fuit de quo alias memini, Cassinus.

Norimbergæ anno 1678. Senatus Republicæ Noricæ Astronomiam, quæ duobus & amplius seculis ibidem floruit, civitate donavit exstructo novo domicilio, dum in adsito arci propugnaculo, qua Septentrionem respicit, aream pergulamque condidit, egregia suppellectile mathematica divitem, & cœlestium rerum contemplationi aptissimam.

Lugduni Batavorum anno 1690. in summo Collegii fastigio Astronomica specula eorum, quorum curæ commissa est Academia, studio ac magnis sumtibus erecta fuit. Turris tectum rotæ dentatae, cylindrisque circa axem versatilibus incubit, ut tympano in gyrum una cum telescopiis torqueri possit.

Non minus Dorotheopoli prope Berlinum specula insignis Astronomica Frederici Borussiae Regis : liberalitate fuit fundata : turris est quadratae formæ, surgitque in altum 90. pedes : tecto caret tabulatum summum, unde liber in omnem partem prospectus patet, cœlo diuidiam sui partem oculis semper indulgente.

Bononiæ anno 1712. novum Museum adjecta specula Astronomica Ludovici Ferdinandi Comitis de Marsigli consilio & studio fuit erectum. Nam ubi Bononiæ agebat rei militari per ditiones Pontificis summa cum potestate præfetus, sagum conjungens togæ Academiam, quam *Institutum* scientiarum & artium appellant, ea in urbe condendi animum induxit. Hunc in finem thesaurum suum rerum naturalium artefactorumque longo tempore collectum Senatu Bononiensi dono dedit, ab eoque vicissim impetravit, ut auspicis Clementis XI. palatium exstrueret, in quo pro membris Academiæ singulis, proque variis quæ tractant scientiis & artibus singula disponerentur conclavia, una cum contigua ædibus specula Astronomicis usibus destinata. Copiosus heic thesau-

rus latet antiquitatum , & naturæ arca-
norum in diversas classes distributorum.

Pari studio Curatores Academiæ Al-
torfianæ , Reipublicæ Ultrajectensis Pro-
ceres , Upsaliæ Magnates , Societatis JE-
su Patres Viennæ in Austria , Pragæ in
Bohemia , Græcii in Styria , Ingolstadii in
Bavaria , Mantua in Italia , & alibi :
Olyssippi Joannes V. Rex Portugalliæ la-
bente seculo isto novas , magnificās , &
machinarum cœlestium aliarumque ad-
paratu instructissimas ædes sunt moliti.

Memoriam quoque merentur illæ ,
quæ anno 1726. Petroburgi fuerunt ex-
structæ. Splendidissimo in palatio Aca-
demia Imperatoriæ usui consecrato tur-
ris eminet octogona tribus supra tectum
contignationibus superba , quarum una-
quæque subdiali ambulacro cingitur :
optimis illa & pretiosis organis Londini
& Lutetiæ Parisiorum confectis est in-
structissima , fervetque opus institutis
quotidie observationibus , moderante la-
bores Uranicos Ludovico del' Isle Gallo
Astronomo peritissimo.

Denique locum heic meretur specu-
la Sinensis Astroptica in ipsa Imperato-
ria

riæ Majestatis sede Peckini conspicua. Ejus forma hæc est : quatuor lateribus conclusa supra muros urbis multum eminet, & horizonti longe lateque dominatur. Aream subdialem *Observatorio* quod vocant contiguam ædes Custodis occupant : turris ipsa supra murum duodecim pedibus attollitur. Ipsi Magnates, qui Europæorum observationibus interfuerunt, dum Verbiestius S. J. Præsidis Astronomicæ Academiæ dignitatem natus est, libello supplici ab Imperatore petierunt, ut nova organa Uranica Europæis similia fabricari curaret. Annuit ille, reique curam Verbiestio commisit : atque hoc auctore auspiceque intra quadriennium sex ejusmodi instrumenta eximio labore simul ac arte confecta sunt, sumtibus ultra novendecim florenorum millia ascendentibus.

LVIII.

Jam a publicis fabricis Astronomiæ cultui dicatis ad præclara hominum ingeniorum, quibus eandem scientiam ævo recentiore illustrarunt, inventa transeamus. Circa annum 1570. insignis Astronomus Conradus Dasypodus, Argentinæ Matheœos Professor, jussu Senatus & Reipublicæ Argentinensis horolo-

gii Astronomici, quod hodie adhuc in Templo principe visitur, typum primamque formam multo excogitatam ingenio proposuit, ipsamque struere machinam aggressus est, in ea perficienda usus Davidis Wolckensteinii Augustani opera. Resplendent in illa omnes motus planetarum, omnium temporum signa & vicissitudines, omnesque Astronomiae atque mechanicæ artis divitiæ, miro artificio spectantium oculis expositæ. Et quoniam de horologiis mentio sese offert, quum res hæc maximum Astronomiae commodum afferat, ab ejusque principiis pendeat, pauca quadam de hoc organorum genere, ejusque origine ac progressu commemorare juvat. Automatum antiquissimum pro horis signandis inventum est machina hydraulicæ Ctesibii Alexandrini, qui coævus Archimedi fuit: de hac Vitruvius (i) ita scribit:

„ Primum constituit cavum ex auro perfectum aut ex gemma terebrata; ea enim nec teruntur percussu aquæ, nec fortes recipiunt, ut obturentur. Namque æqualiter per id cavum influens aqua sublevat scaphum inversum seu tympanum, in quo collocata regula, versatilia tympana denticulis æqualibus sunt

(i) Lib. 9. Cap. 9.

„ sunt perfecta, qui denticuli alias alium
„ impellentes, versationes modicas fa-
„ ciunt & motiones. Item aliæ regulæ
„ aliaque tympana ad eundem modum
„ dentata, quæ una motione coacta ver-
„ sando faciunt effectus varietatesque
„ motionum, in quibus moventur sigilla,
„ vertuntur metæ, calculi aut ova pro-
„ jiciuntur, buccinæ canunt, reliquaque
„ parerga. In his etiam aut in colu-
„ mna, aut parastatica horæ describun-
„ tur, quas sigillum regrediens ab imo
„ virgulæ significat in diem totum, &c.,
Atque hæc ars horologia automata fa-
bricandi primum in Germania fuisse in-
staurata verosimile videtur, substituta
aquæ lamella ex chalybe, aut ponderibus
appensis, quum circa seculum XV. &
ut creditur ante Regiomontani tempora
notum illud horologium Norimbergensi-
bus jam in usu fuerit, quod idem Re-
gimontanus, & post ipsum perfecit Wal-
therus, cui privatum quoque ejusmodi
horologium fuit, quod de meridie ad
meridiem redibat ad unguem, cujusque
tempus calculo fere concordabat. Ve-
rum seculo XVI. crescente artis studio
organæ illa magis emendata prodierunt
in publicum, variis novisque exornata
incrementis. Hujus rei specimina etiam-

num Dresdæ ac Cassellis visuntur. Certe Guido Pancirollus, qui circa annum 1570. libros suos de rebus memorabilibus in lucem edidit: (k) „ Hodie, ait,
 „ horologia ita elaborantur, ut qua ve-
 „ lis hora te excitent, inventusque est
 „ conficiendorum istorum modus, ut
 „ etiam absque libramine appenso vel
 „ in mensa poni, vel in collo suspendi
 „ possint, amygdali instar vel aliter ef-
 „ formata: quædam etiam lunæ statum
 „ in cœlo repræsentant. Neque his ter-
 :, minis constitutum humanum ingenium:
 „ audio Carolo V. horologium a Cre-
 „ monensi aliquo donatum fuisse, quod
 „ universi cœli machinam cum omni-
 „ bus stellis firmamenti complecteretur:
 „ itemque cum signis, quæ non aliter
 „ atque in cœlo circumgyrantur., Hæc
 de horologiorum genesi.

Non minor inventi novi gloria cessit
 illi, qui primus circa finem anni 1609.
 & 10. Jovis Comites detexit auxilio tu-
 bi optici, qualem nonnulli fuisse prædi-
 cant Simonem Mayerum seu Marium,
 Guntzenhusii in Franconia natum. Nam
 quum more suo in specula sideribus con-
 templandis operam daret, primum obla-
 tus

(k) Part. 2. tit. 10.

tus est illi Jupiter eo, quo soli opponebatur tempore, deprehenditque stellas exiguae modo Jovem præcedere, modo rectam cum illo lineam formare. Suspicabatur itaque stellas has e numero fixarum esse, quæ nudis oculis conspici nequeunt. Verum ubi Jovem retrogradum esse advertit, cerneretque simul siderum horum comitatum mense Decembri adhærere Jovi, paullatim eam in opinionem delapsus est, quod hæ circa Jovem stellæ simili ratione, qua Venus & Mercurius, circa solem ferantur. Institutis ergo plurimis observationibus tabulisque compositis hanc non jam opinionem, sed certam veritatem stabilitum ivit, atque typis edidit anno 1614. librum, cui Titulus *Mundus Jovialis*, in quo dictos Jovis Comites *Sidera Brandenburgica* adpellat, Galilæo ægre id ferente, qui hujus inventionis honorem in Italia sibi vendicabat, & Jovis Comites istos a se primum inventos Ducis sui Florentini nomine insignivit, vocans *Sidera Medicea*, qualia describit in libro a se vulgato anno 1610. *Nuncius Sidereus*. Res dubia est; passim tamen inventi recentis gloria Galilæo tribuitur: certe prior hic in foro literato cum merce nova comparuit.

Dum alii Jovis Comites venabantur, Christophorus Scheinerus S. J. Mathe-
seos Professor Ingolstadii, Friburgi Bris-
goiax, ac Romæ, anno 1611. maculas in
sole detexit. Nam quum mense Martio
supremam templi turrim concenderet, ac
solis faciem tenui obvolutam nebula te-
lescopii belgici ope curatius contempla-
retur, obscuriora quædam puncta nota-
vit: helioscopio postmodum usus seu tu-
bo cæruleis vitris armato, clariora rei
hujus ante hac nulli cognitæ vestigia re-
perit, donec tandem solis imagine, ra-
diisque in planum cubiculi obscurati im-
missis maculas esse omnino deprehendit.
Galilæus quidem, de quo memini (uti
novorum inventorum gloriam plerum-
que invidia velut solem umbra sequitur)
Scheinerum insimulare plagii non dubi-
tavit, seque prium inventionis hujus
ducem auctoremque venditabat. Ve-
rum accusationem hanc Scheinerus in
præfatione libri *Rosa Ursina* dicti tam
luculenter diluit, ut Galilæum jure om-
ni, quod occupabatur, exuerit. Tum
Romæ laborem hunc institutis supra bis
mille observationibus est prosecutus, ma-
cularumque situm, locum, figuram, ma-
gnitudinem, ortus ac interitus periodum,
eamque quam ex hoc fonte deduxit,

men-

menstruam solis quam vocant Astronomi revolutionem ita demonstravit, ut desperatione meliorum observationum, & alios, & se ipsum, ac solem Ricciolo teste vicisse sit visus.

Scheinero adjungendus merito est Joannes Baptista Cysatus S. J. Mathematicum Professor, qui primus telescopii beneficio stellam crinitam seu Cometam observavit Ingolstadii anno 1618. Quum vero magna inventorum pars, quibus Astronomia ævo recentiore ditata fuit, tubi optici auxilio in lucem protracta fuerit, operæ pretium esse mihi visum est, ut organi hujus admiratione nostra dignissimi analysin exhibeam. Evidem dubio procul est, primam telescopii strukturam cuidam e Belgio Fœderato deberi, ejus tamen inventionem fortuna potius quam ars sibi vendicare videtur: casu enim accidit, ut dum vitrum cavum admoveret oculo, convexum vero in corpus sibi objectum dirigeret, debito utrumque intervallo collocatum, protinus longe remota velut præsentia conspicienda præberet. Ubi fama rei hujus percrebuit, mox in medium plures prodiere artifices, qui perficiendo huic organo manus admoverunt, uti Galilæus,

Magerus, aliique. Tres quidem sunt Hollandi, qui de inventionis palma certant, Zacharias Johnsen Middelburgen-sis, Joannes Lippensum seu Lipperhoy Seelandus, & Jacobus Metius: primo tamen Petrus Borellus Medic. Doctor & Galliarum Regis Archiater integro, quem hac de re scripsit, libro palmam adjudicat. Hæc utut vera sunt, nihilominus fateri oportet, diu ante illa tempora circa annum 1550. & 60. Joannem Bapti-stam Portam utriusque vitri concavi & convexi usum jam perspectum habuisse, ut ex libro ejusdem de Magia naturali constat. Præterea Baschius Rogerium Baconem, qui anno 1288. diem extre-mum obiit, similis organi structuram haud ignorasse contendit libro de inven-tis Novo-Antiquis, in quo verba Baco-nis recitat. „ Possunt, inquit, sic figu-„ rari perspicua, ut longissime opposita : appareant propinquissima, & e contra-„ rio, ita ut ex incredibili distantia le-„ geremus literas minutissimas, & nume-„ raremus res quantumvis parvas. „ Ipse Baco multo vetustiorem hanc inventio-nem testatur, dum scribit, Julium Cæ-sarem tubi ope a Gallicano litore por-tus Angliæ maritimos spectasse, quum bellum in Britannos meditaretur. Sed nunc

nunc oculos ad alia nova inventa convertamus.

Joannes Neperus, Baro Merchestonii, Scotus *logorithmorum canonem* typis vulgavit anno 1614. cuius maxima in rationibus Astronomicis accuratius ineundis utilitas, unde coelestis hujus scientiae robur omne, nullis sat laudibus extolli potest. Certe Ricciolus peritissimus rerum harum æstimator (1) fatetur, tam facilem illis numeris artificiosis calculum astronomicum reddi, ut intra horæ unius spatiū triginta & amplius *triangula* expedire eorundem ope potuerit, quibus per consuetas *sinuum*, *tangentium* & *secantium* tabulas absolvendis vix senæ septenæque sufficerent.

Anno 1639. Jeremias Horroccius, Anglis Horrockes, ex Lancastria oriundus, primus mortalium Venerem sub sole transeuntem est contemplatus, quam observationem sane rarissimam, & ab orbe condito tum temporis adhuc unicam peculiari commentario illustratam posteritati transmisit.

Franc.

(1) *In Chronol. Astronom.*

Franc Maria Grimaldi S. J. illustris
Grimaldorum Familiæ progenies, Riccio-
lo sociam in laboribus Astronomicis ope-
ram navavit. Hic tanto in lunæ fa-
ciem observandam detegendamque stu-
dio ferebatur, ut non acquievisse sit vi-
sus, donec minimas quasque lunaris vul-
tus notas sagaci oculo deprehenderit,
& schemati in lucem datæ inscripserit.

Dum Lunæ Grimaldus, Christianus
Hugenius Saturni phænomenis assidue in-
vigilavit, qui nova prorsus de hoc pla-
neta nunciavit Astronomis anno 1659,
quippe Galilæus, quum telescopio cœlos
Iustrasset, inter alia insolentem Saturni
figuram detexit: tergeminus enim seu tri-
corpor videbatur, non secus ac si mediæ
majori stellæ minores aliæ duæ ad ut-
rumque latus adhærerent; quæ facies
quum integro ferme triennio eadem sem-
per observaretur, eam in opinionem de-
scendit Galilæus, quod Saturno comites
duo motu destituti obtigerint, quales Jo-
vi mobiles quatuor. Verum posteri eos
non rotundos, sed ansæ forma præditos
conspexere, uti Fontana, Gassendus, Bul-
lialdus, Zucchius, Euftachius de divinis
&c. Gassendus vero postmodum, He-
velius, aliquique Saturnum quandoque soli-
ta-

tarium, ansis illis & globulis expertem intuebantur. Itaque Hugenius, ut veritatem rei curatius investigaret, longiorum meliorumque tuborum opticorum adparatu instructus deprehendit primo, planetæ hujus ansas minui, & mox solum ac velut brachiis spoliatum, relicta modica umbra instar lineæ per medium discum extensæ: paullo post brachia hæc renasci & bifida fieri, donec ansæ magis magisque dilatatae Saturni annulum clarissime ob oculos ponerent. Quare non dubitavit palam afferere, globum Saturni ejusmodi annulo ex omni parte circumdari, atque ex diverso, quem aterræ globum obtineret, situ omnes figurarum varietates, quæ olim credebantur esse ipsius Saturni, ortum trahere, quarum etiam periodum omnino inventum, ac publice docuit: Quartum præterea satellitem, quem lunam vocant Saturnianam, detexit, ejusque circuitum dimensus est.

Hugenii vestigiis institit egregiæ Parisiis Cassinius, qui telescopiorum ope, quæ singulari artificio centum, & ducentos palmos longa Romæ fabricavit Iosephus Campani, totum denique Saturni comitumque systema detexit. Alterum

terum inventum, quo Astronomiam praetanicam ditavit idem Hugenius, est *pendulum* ut vocant, quod horologii automatici applicatur ad observationes mathematicas & temporis minutias quasque accurate subducendas. Opus hoc arte sua nunc Angli ita perfecerunt, ut insigni fructu ubique terrarum exhibeatur.

Planetarum phænomenis feliciter in lucem protractis cupido exarsit inter Astronomos, cometas quoque, eorumque naturam & cursum penitus scrutandi, præsertim annis 1664. & 65. quibus plures in cœlesti theatro spectandos se præbuere. Huic labori insudarunt strenue Geminianus Montarerius, Cassinius, Adrianus, Avzoutus, Christophorus Nottnagelius, Petrus Peritus, Josephus Campanus aliquique, præsertim Grandamy seu Grandamicus S. J. Hic Cometarum originem deducit a virtute motuque astrorum, quo cœli velut fœces e corporibus planetarum effluentes addensantur, quæ confluentes nucleus cometæ constituunt, caudamque projiciunt e radiis solaribus partim reflexis partim refractis compostam. Quare motus eorum proprius astra, a quibus dependent, sequitur: destruitur autem

autem hoc in systemate cometa aliorum siderum vel contraria vel priorum sublata vi agendi. Donatus Rosseti Livorni proposuit cometam anno 1680. & 81. fulgentem, tum observationibus suis, tum phænomenorum distincta explicatione illustratum : præ reliquis in cometarum naturam studiosius indagare cœpit Jacobus Bernoullius, Basileensis. Hic supra solem & supra planetas cognitos ponit verticem & epicyclum cometarum, in cuius orbibus diversa ad eclipticam inclinatione cometæ revolvuntur, ipsum vero verticis centrum circa solem promovet. Quamvis autem auctoris ingenium ab omnibus merito laudetur, præsagiis tamen de reditu cometarum certo tempore eventus nequaquam respondit. Quare posteris labor hic exantlandus incumbit.

Aliis quibusdam pulcherrimis inventis inclaruere ultimis hisce temporibus : in Dania Olaus Rœmerus, Hafniensis, qui anno 1678. Parisiis machinam inventanti viri dignam ingenio, qua Jovis satellites rotarum tympanorumque vi intus agente ita conspectui sistuntur, ut non solum varius illorum & mutuus, quem in cœlis obtinent, situs quovis tempore cognosci

gnosci possit, verum etiam corundem eclipses, quas sub Jove patiuntur, absque calculo reperiri queant. Quare organum hoc ephemeridum perpetuarum vices gerit. Eadem arte ac ingenio machinam quoque Saturni ac planetarum construxit.

Circa idem tempus in Academia quoque Jenensi Matheos Professor Erhardus Weigelius Astronomiam tam libris editis, quam novis inventis illustravit : praeter globos cœlestes arte mira confectos Pancostrum seu sphæram quam vocant *armillarem* ex ferreis circulis fabrefecit, quæ ad desideratam poli *elevationem* composita, & Automato conversa cœli totius stellarumque motum conclusis intus spectatoribus ob oculos ponit.

Isaccus Newtonus, de quo alibi mentio facta est, insigne præstítit obsequium Uraniæ, dum telescopium invenit catadioptricum, quod solertia artificum Anglorum ea ratione fuit constructum, ut breve organum ejusmodi vix quinque pedes longum cum tubis Astronomicis centum & ultra pedum de palma certare videatur.

Franciscus Blanchinus Veronensis, qui Astronomiæ fama Urbem implevit, egregium opus edidit, scilicet Hesperi & Phosphori nova phænomena, in quo maculas Veneris lunaribus similes, ejus circa axem proprium vertiginem, parallelissimum axis in orbita octimestri circa solem, &c. perspicue describit: in Luna quoque telescopio 150. pedum crenam quamdam & veluti fossam prælongam inter Platonis & Aristotelis maculas sitam detexit.

Denique in medium prodeunt Viri immortali laude digni Flaminius de Mezavachis Bononiæ, Philippus de la Hire & Gabriel ejusdem filius Parisis, Eustachius Manfredius Bononiæ, Mathematum Professores, atque Antonius Marchio Ghislerus, qui ephemerides cœlestium motuum posteritati in multos etiam annos servituras typis vulgarunt, & de universa Astronomica Republica decumano hoc labore suo præclare omnino sunt meriti. Qui ampliorem desiderat in rebus istis eruditionem, Joannis Francisci Weidleri librum singularem de ortu & progressu Astronomiæ, e quo ista in compendium redacta sunt, consulere poterit. Nunc in ipsa sacratiora cœle-

stis hujus scientiæ adyta penetrare ju-
vat.

§. II.

Doctrina Sphærica.

LIX.

Astronomia est cœli corporumque cœ-
lestium scientia, nobilissimaque ars
illa, vix non superis invidenda, quæ si-
tum, motum, distantiam, magnitudinem
siderum, omniaque phænomena, quæ no-
bis mortalibus tanto intervallo dissitis
velut prodigum nostra in oblectamenta
cœlum fere quotidie sponteque offert,
adscitis in opem certis quibusdam hypo-
thesibus, naturæ rerum consentaneis,
scrutatur & explicat. Atque ita pro-
prium Astronomi munus est ante omnia,
ut diligenti assiduaque siderum observa-
tione copiosam phænomenorum in cœlis
apparentium suppellectilem colligat: tum
ut hypotheses improbo sibi studio com-
paret, quibus rite dispositis cuncta, quæ
observando collegit, æterna quasi lege,
ordineque perpetuo sequi demonstret:
tandem ut vel machinas construat ac in-
strumenta sibi fabricet, quibus phæno-
mena illa partim e cœlo in terras evo-
cata

cata exhibeat in ectypo, partim ipso in cœlo tanquam prototypo spectanda offerat, vel numeros continua serie sibi succedentes feligat, quibus methodum monstrat, qua tum universa cœli facies spectabilis, tum singulorum siderum motus, cursus, diversaque quam induunt figura determinari ad quodlibet tempus sive præteritum sive futurum, supputari que possit. Priora duo consequitur ope principiorum tum scientiæ huic propriorum, qualia sunt *definitiones*, *supposita*, *hypoteses*, *observationes*, &c. ut vocant Mathematici, tum mutuatorum ex Arithmetica, Geometria, Optica, &c. Postremum vero obtinet vel instrumentorum ope, ut sunt *globus cœlestis*, *sphæra armillaris*, *Astrolabium*, *Quadrans circuli* suos in gradus & scrupulos divisi, vel Trigonometriæ sive planæ sive sphæricæ, tabularumque certos computus subministrantium auxilio. Jam vero aptissima Astronomiæ divisio, quam varii variam excogitarunt, illa esse videtur, quæ scientiæ hujus tres statuit partes, quarum prima doctrinam Sphæricam, Theoricam altera, tertia demum Chronologicam complectitur. Quum enim duplex siderum motus in cœlo deprehendatur, quorum primus communis omnibus

bus, utpote qui ab ortu in occasum magnis passibus contendens diei noctisque, sive 24. horarum spatio absolvitur; secundus vero singulis propriis, qui ab occasu in ortum testudineis gradibus & velut rependo incedit; ex utroque autem hoc motu temporum momenta metiri soleamus, Astronomia quoque in tres quas dixi partes maturo consilio dividitur. *Doctrina Sphærica* exponit phænomena, quæ motus primus, omniumque corporum cœlestium communis offert nobis, illaque oculis subjicit per organum sphæræ sive globi cœlestis: *Doctrina Theorica* præmissis hypothesis motus secundi, singulorumque corporum cœlestium proprii, ut nobis adparet, arcana, illorumque naturam, indolem, & phænomena per theorias pandit: *Doctrina* denique *Chronologica* temporum ab utroque hoc motu dependentium rationes explicat.

LX.

Cæli indoles ac dotes.

Antequam vero doctrina sphærica, prima scientiæ Astronomicæ pars, exponatur, quædam de cœlo naturali & artificiali, ac utriusque dotibus præmittenda esse

esse videntur. Cœlum quidem omnibus se indulget præbetque spectandum, doctis æque ac indoctis: aliis tamen oculis id contemplatur Astronomus, quam rude vulgus. Hoc visu se usurpare corpus istud existimat, dum substantiam quandam sibi circumfusam, longius quidem remotam, eamque cœrulei coloris intuetur. Sed protecto vehementer errat; siquidem cœlum ob summam seu raritatem, seu particularum, ex quibus componitur, subtilitatem oculorum nostrorum aciem fugit. Scilicet æthera corpus summe pellucidum esse omnino testatur liber radiorum, quos tanto intervallo ad nos transmittunt stellæ, commatus; & quidem rectissima via, quin alias in partes quascunque splendore suo deflectant, quemadmodum in aqua tanquam elemento crassiore fieri experientia docet: unde visibilis haud est, & nisi atmosphæra illi substrata foret, ob profunditatem suam nigro induitus colore, uti noctu in acre luminis experte contingit, nobis appareret. Quare cœruleum, quem interdiu præsfert, colorem in acceptis referre debet aeri. Nam hic quoque pellucidus quum sit, solisque lumine afflatus, lux hæc aerea admodum tenuis, expansa post se nigræ instar pel-

lis aura ætherea, cæruleum quem dixi colorem imitatur. Præterea cœlum corporis rarissimi & agillimi dotibus pollet, utpote ex innumeris & subtilissimis partibus conflatum. Luce clarius hoc patet ex ipsa lucis per id traje^ctione ocyssima ad distantiam humana fide majorē, cui sane haud aliæ quam subtilissimæ, & ad omnem motum expeditissimæ atomi ut inserviant, aptæ videntur. Unde Philosophorum non pauci minimis hisce particulis æthereis sphæricam ut plurimum figuram adjudicant, tanquam ad motum imprimendum determinandumque convenientissimam. Summe fluida quoque hæc materia sit necesse est, quidquid Veteres contra moliti fuerint, cœlum esse corpus solidum sibi persuadentes. Satis hoc demonstrat primum lumen propagatio celerrima; fieri enim haud posset, etiamsi maxime mobiles essent illius particulæ, ut tam facili negotio tanta earum series & tractus a stellis usque ad oculum minimo motu viaque recta propelleretur, si non ipsæ in vario motu (in quo melioris notæ Philosophi rationem fluidi constituunt) jam tum positæ fuissent, adeo ut certa solidum motus determinatio, puta recta, eis communicanda foret. Unde simul ac remo-

motum fuerit corpus lucidum, quod illas per semitam rectam urgebat, particulas eas ad varium suum sine lege motum redire, ipsumque cœlum omnino luce destitutum observamus: dein quotidiana docet experientia, non solum cometas, sed & planetas nonnullos Martem, Venerem ac Mercurium modo supra solis sphæram ascendere, modo infra descendere, quem cursum tanta dexteritate conficere interjecta materies hæc, si solida foret, necquidquam indulgeret: denique si solidius hoc cœli corpus esset, sidera præsertim sublimiora lumen suum, quin reflectatur & refringatur, ejaculari haud possent; quamvis enim diaphani ratio hoc forte concederet, neutiquam tamen permitteret profunditas, quæ prioris indolem omnino destruit, quemadmodum in vitro uno tenui, altero denso & crasso experiri licet.

Quod autem ad cœli figuram adtinet, videtur illud quidem interiore sui parte in orbem circuire, sinuque suo subiectum cum atmosphæra terræ globum amplecti ac conclusum tenere: sed exterior ejus ambitus an circuli, an quadrati, an vero trianguli figuram imitetur, nemo facile demonstraverit. Nam quod visibili stell-

tarum choro terra universa cingatur, si-
deraque nunc supra horizontem emerge-
re, nunc cœli culmen attingere, nunc in
occasum properare intueamnr , conve-
xam ejus superficiem , orbisque conca-
merationem neutiquam evincit. Nihilo-
minus vulgata est opinio , cœlum esse
rotundum suadente id dupli potissimum
ratione, scilicet quod figura hæc omnium
sit perfectissima, quam utique sapientissi-
mus mundi Architectus pro struendo
tam magnifico ædificio præ reliquis ele-
gisse censendus est : tum quod liquida
fluido innatantia sphæricam induant fi-
guram, ut gutta aquæ in aere , granum
plumbi liquidì in aqua, oleum in vino,
&c. Quidni ergo chaos primum, quod
liquidæ partes composuere, in vastissimo
illo, quod extra mundi materiem est ,
inani plusquam fluido secundum easdem
naturæ leges in unam massam sub sphæ-
rica figura coaluisse credendum est ? hæc
rem verosimilem esse probant, neutiquam
tamen ita esse demonstrant. Illud cer-
tum est, & dubio procul, cœlum ad in-
star sphæræ cavæ nostro se conspectui si-
stere: sphæræ quidem, quum ob maxi-
mam quam habet distantiam æquis ab
oculo intervallis remotum adpareat : ca-
væ autem, quum cœli materies sensibus
non

non sit obnoxia, nec ipsum inter & oculum, quod visu discerni possit, intercedat. Unde contingit, ut ad eandem atmosphæræ superficiem stellas omnes, ut ut a se invicem remotas, suoque ordine vel superiores vel inferiores, referamus, & ubicunque pedem in tellure figimus, in universi medio consistere nobis videamur. Quippe si ambitum cœlorum immensum, uti est, spectemus, fateri oportet, terræ globum respectu cœli punto velut minimo comparandum esse. Quamvis enim Copernicanæ sectæ addicti motum tribuant telluri, non potuerunt tamen hucusque per ullam *parallaxin*, ut loquuntur Mathematici, aut aliam observationem post tot conatus adhibitos evincere, terram diversis anni temporibus vel hilo remotius ab aliqua cœli parte recedere, aut ad aliam accedere proprius, ita ut terrarum orbem a cœlesti spatio undique æquali distare pro comperto sit. Minus dubium esse potest, si de cœlestibus, quæ siderum semita sunt, orbibus sermonem instituamus: eos enim circuli naturam participare testatur Ecclesiastes (m) dum ait: *Oritur Sol & occidit, & in locum suum re-*
ver-

(m) Cap. 1.

vertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, iustrans universa in circuitu, pergit spiritus & in circulos suos revertitur. Hinc Astronomi ab omnibus retro seculis usi fuerunt instrumentis rotunda figura praeditis, quibus siderum altitudinem & distantiam eorum inter se metirentur, ingenio semper respondente successu, quod sane non contempnendum sphæricæ cœlorum figuræ est argumentum.

De cœli mole quid dicam? cujus materia qua repletur, ad vastissima spatia humanum captum superantia expanditur. *Furor est, inquit Plinius, mensuram ejus animo quosdam agitare atque prodere ausus.* Verum licet sensus nostros fidemque supereret ejus amplitudo, intra quam continentur tot tamque magna, ut videbimus, sidera diversam eamque maximam a terris distantiam naœta, rationem tamen non excedit. Nam si cœlum sphærica præditum figura concipiamus, quum sati concordi temporis hujus Astronomorum calculo, cui refragari vix licet, radius cœli ad terræ radium sit ut 1000000. ad 1. sphæræque sint in triplicata ratione suorum diametrorum, moles globi terrestris ad cœlestem non nisi ut 1. ad 1000,000,

000, 000, 000, 000, (nempe ut unum ad trimillionem seu millionem cubicum) prodeat necesse est.

Hucusque cœli nomine universam mundi hujus machiam, qua longe lateque patet, complexus sum : non ita tam unum esse credendum est, ut in plures dividi nequeat. Antiquiores Philosophi decem & amplius, ævi vero melioris Astronomi novem cœlos statuunt : unum quod *Primum Mobile* vocant, tanquam dictatorem & motus cunctis sideribus communis arbitrum : in altero stellas fixas collocant : reliquos septem planetis, suum cuique, tribuunt habitandos. Verum lis hæc, ubi de nomine quæstio agitatur, expeditissime SS. Literarum auctoritate deciditur, quæ trium cœlorum meminerunt, tribusque duntaxat hoc nomen indulgent. Ita (n) S. Paulus de se ipso fatetur, quod raptus fuerit ad tertium usque cœlum, per quod SS. Patres unanimi consensu Empyreum, Beatorum patriam, intelligunt. Quum igitur Empyreum sit supremum, simulque tertium nuncupetur, nonnisi duo præter hoc, iisque inferiores cœli sunt admittendi. Sed quales illi ? hos rursus digito monstrat

strat S. Scriptura, dum (o) vocat *stellas cœli*: item (p) *volucres cœli, pluvias cœli, rorem cœli*, ex quibus patet, proximum tertio esse cœlum æthereum, in quo volvuntur sidera: infimum denique æreum, quo nomine tota terræ circumfusa & ad aliquot milliaria seſe extendens atmosphæra intelligitur, ultra quam volatu suo volucres non ascendunt, & in qua pluviæ, ros, grando, quin & fulgura & tonitrua nascuntur.

Ad incolas cœli gradum faciamus, sidera nimirum, quorum alia vocantur Perpetua seu æterna, quum semper a mundo condito in cœlo fuerint observata, seque conspicienda perpetuo præbeant: alia Temporaria, quæ brevi tempore nostris seſe oculis indulgent, paullo post iis subducenda, uti sunt Cometæ, aliæque stellæ novæ quandoque apparentes: rursus aliqua dicuntur Fixa, non quod eodem semper loco consistant (nam quotidie spatio viginti quatuor horarum circa terram simul omnes ab oriente in occidentem volvuntur) sed quod stabilem velut sedem in cœlo nocta æquali semper a se intervallo distent, & velut gemmæ orbi maximæ

(o) *Dan. 3. Jerem. 33.*

(p) *Psalms. 8. 2. Paralip. 6. & Dan. 4.*

mo infixæ mortalium oculos fulgore suo ex alto perstringant; faces dixeris jugibus flammis ante aras supremi Numinis accensas, & totidem oculos, quibus res humanas intuetur Deus: Alit̄ vero Erraticæ, quæ tum a se ipsis tum a fixis varie distare solent, & velut legibus solutæ multis ambagibus ac mæandris per cœlestes campos vagari videntur, errore non suo sed nostro, qui a longe ambulantia sidera intuemur, & itinerum & locorum cœlestium ignari. Atque tales sunt septem Planetæ, græca voce latinæ, qua errantes adpellantur, respondente. Horum naturam, indolem ac dotes pluribus brevi & commodiore, ipsisque proprio loco exponam.

LXI.

Sphæra & Globus cœlestis.

Jam vero, quoniam cœlum tanto a nobis intervallo remotum est, nec nisi viginti quatuor horarum circuitu per partes, easque non omnes spectari potest, ut propinquius redderent, totumque conspectui sisterent, miro in terras artificio transtulere Astronomi, dum globos cœlestes e materia terrestri fingere ausi sunt; initio quidem rudes, nunc autem meliorum observationum auxilio, dexteritateque

ma-

maxima artificum numeris omnibus absolutos, quantum jus & fas indulxit, quod in cœlestia mortalibus competit. Ita fit, ut Astronomiæ cultor exiguo in globo universam lateque patentem cœli machinam contemplari, arcanos siderum motus & phænomena scrutari, certaque lege temporum momenta definire, astrorumque scientiam omnem docto in otio sibi comparare queat. Sunt autem duplicis generis illa, quæ in globo cœlesti consideranda veniunt: primum circuli, queis globus cœlestis in partes dividitur, tum ipsa sidera, horumque nomina & figuræ, quibus suas in classes distribuuntur.

Egimus quidem de his circulis Libri hujus C. 4. §. 2. N. 18. quantum ad terrestria adtinet; heic vero, quantum ad cœlestia spectat, agemus. Itaque circuli quidam vel sunt imobiles, ut Horizon & Meridianus, vel mobiles una cum globo, ut Æquator & Zodiacus. *Horizon* seu *Finitor* dicitur ita, quod visum nostrum terminet, nec ultra evagari permittat. Nam cœlum in duas partes secat, quarum una nobis conspicua est, altera vero abscondita. Circulus hic describitur velut duobus e polis, a puncto scilicet, quod vertici nostro imminet, quodque *Zenith* vocatur, & a pun-

cto opposito, quod *Nadir* nuncupant. Duplex autem vulgo statuitur horizon, unus qui dici solet Rationalis, alter Sensibilis: ille per centrum mundi sive per illius superficiem transit; hic ducitur e centro, quod in hominis terræ superficie insistentis oculo collocatur. Quum autem terra cœlo comparata nonnisi puncti habeat rationem, unus ab altero horizonte, si sensus nostros consulamus, non discrepat. Præcipui vero usus horizontis descripti sunt duo: primus quod cœlum in duo semisphaeria fecet, quorum alterum a nobis conspicitur, alterum occultatur: secundus quod in eo ortus & occasus siderum designentur. Nam quæ supra hunc circulum ascendunt, oriri, quæ descendunt infra, occidere dicuntur.

Meridianus est alter globi circulus immobilis. Hic per utrumque mundi polum & verticem nostrum transit, ac horizontem intersecando angulos cum eo rectos seu ad perpendiculari normam constituit: *Linea* vero quam Meridianus in horizonte describit, *Meridiana* vocatur. Circuli hujus usus præ reliquis est in eo positus, quod cœlum in duas partes dividat, quarum una dicitur Orientalis, Occidentalis altera. Unde quum sol ad eum cir-

circulum supra horizontem motu diurno delatus fuerit, tum medius dies: si vero infra, tum media mox esse dicitur.

Inter circulos globi maximos eminet *Æquator* qui ab ortu in occasum ductus ab utroque mundi polo æquis distat intervallis, scilicet 90. gradibus. Usus quos præstat insignes sunt primo, quod mundum in partem Septentrionalem & Meridionalem partiatur; dein quod æquinoctia indicet ac distinguat, unde nomen *Æquatoris* hausit. Quippe quotiescumque sol circulum illum percurrere videtur, ubique terrarum (si tamen eas excipias regiones, quibus alteruter polus directe imminet) noctes æquantur diebus. Rursus *Æquator* præcipua est temporis mensura; integer enim ejusdem circuitus, secundum gradus trecentos & sexaginta factus, constituit diem illum, qui naturalis dici solet, estque viginti quatuor horarum: motus vero partis vigesimæ quartæ, sive graduum quindecim horæ unius spatium efficit: item *Æquatoris* ope cognoscimus longitudinem diei ac noctis, nempe dum dies moram solis supra horizontem, & nox moram ejus eundem indicat.

Zodiacus est circulus ille late patens, qui bis *Æquatorem* obliqua via intersecat, quique globum in duas partes æquales dividit,

yidit, quarum altera ad Septentrionem, altera ad Meridiem producta ab ipso Äquatore gradibus viginti tribus cum dimidio distat. In hoc circulo consideranda venit tum longitudo, tum latitudo. Ad longitudinem quod adtinet, Zodiacus quidem cum cæteris omnibus circulis in trecentos sexaginta gradus distribui solet: præterea quoque in partes duodecim æquales, quæ signa vocantur, animalium figuris ac nominibus insignita; unde circulus ille signifer, & a græca voce *Zoôr animal*, Zodiacus adpellatur. Præter longitudinem sua quoque latitudo competit huic circulo, quum instar fasciæ hinc & inde ab *Ecliptica* octo circiter gradibus extendatur. Est autem Ecliptica circulus medius ambiens Zodiacum, nomen suum ab Eclipsibus, quæ in eo contingunt, sortitus: via quoque solis dicitur, utpote qui nunquam ab ea digreditur, sed sibi præscriptam in illa semitam semper observat. Tria præ cæteris notatu digna occurruunt Zodiaci & præsertim Eclipticæ officia. Primum, quod solis cæterorumque planetarum motum ab occasu in ortum dirigat: alterum, quod inter quatuor anni tempora arbitrum agat; unde quatuor etiam signa sunt, quæ dicuntur Cardinalia, & totidem Solstitialia: tertium, quod propria eclipsium quasi sedes sit. Quotiescumque enim luna eclipti-

cam transit, ita ut simul vel soli subjiciatur, vel eidem opponatur (id quod bis singulis fere annis contingit) eclipsin fieri necesse est. Nam luna eclipticam transiens, si soli subjiciatur, ejus radios superiore sui parte excipit, & a nobis avertit, unde solis eclipsis : si vero illi stat opposita, in umbram terræ intermediæ ita incidit, ut lumine solis destituatur, unde lunæ eclipsis.

Maximis quoque circulis adnumerantur *Coluri* duo, qui dum per polos mundi transiunt, in iis se mutuo intersecant. Horum alter *Æquinoctia* signat in Arietis & Libræ, alter solstitia in Canceris & Capricorni transitu.

Jam minores globi cœlestis circuli, *Tropicī* duo se offerunt, qui ab *Æquatore* virginis tribus gradibus & dimidio distant, quique per puncta solstitialia pertranseunt, ubi sol ab *Æquatore* recedens ad has veluti Herculis columnas defertur, nec plus ultra progressitur, sed versus *Æquatorem* viam relegit; unde a τροπῇ seu conversione Tropicī dicuntur. Eorundem officium duplex est, nempe proprio annoque solis cursui limites ponere; tum solstitia indicare.

Denique circuli *Polares* duo minimi memorandi veniunt, quos poli obliqui Zodiaci motu suo diurno describunt, quique a mundi polis nonnisi gradibus viginti tribus &

dīmidio distant, quanta nimirum est solis ab Æquatore maxima declinatio. Horum unus Polaris Arcticus, alter Antarcticus nuncupatur.

Absoluto circulorum cœlestium negotiis ipsa sidera in globo expressa, eorumque figuræ ac nomina palam sunt facienda. Erratica seu planetas septem esse diximus, quorum cuivis proprium, quo dignoscantur, & velut gentilicium insigne Astronomi tribuunt. Saturnus ♂ falcem gerit, quem Astrologorum judicio infantes trucidet, sub ejus imperio natos. Ob senectam Consiliarius Planetarum intimus ab iisdem vocatur: quinque Saturno stellæ ceu totidem satellites junguntur. Jovi tanquam supremo inter planetas Judici ♀ sceptrum tribuitur: hujus latus stipant quatuor comites individui. Mars ♂ sagittam tenet, qui rei bellicæ summa cum potestate præest, & campi *Mareschallus* dicitur. Sol quem velut Regem suum reliqui planetæ venerantur, ☉ aureum circulum figuræ perfectissimæ symbolum gestat. Veneri ♀ inversum Imperii pomum ut Reginæ manibus inserunt, cui regimen in cupiditates rationi subiectas Astrologi nescio qua ratione vendicant. Mercurio ♀ baculus obtingit, quem serpentes ex utroque latere ambiunt, indices caliditatis; unde planetis a secretis esse dici-

tur. Demum Luna signum ♂ a figura nanciscitur, quam singulis mensibus bina vice in *Quadraturis* induit; ob motus velocitatem planetarum Tabellarius nuncupatur. Fixarum stellarum quamvis copia innumerabilis cœlestes campos inundet, non tamen ea, quæ oculis nostris patent, indigestam molem esse passa est humana industria: sed quemadmodum Geographi terrarum orbem in regna & provincias varias distribuunt, atque in iis majores minoresque urbes notare solent, ita Firmamentum omne Astronomi in Asterismos seu *Constellationes* in globo cœlesti dividunt, quæ plures diversæ magnitudinis stellas sinu suo complectuntur, certam imaginem præferentes. Ejusmodi asterismos numerabat antiquius ævum quinquaginta, quibus hodie per navigationes, præsertim ad Austrum institutas, detectæ adduntur aliæ, ita ut nunc illorum numerus ad sexaginta sex excreverit; nempe duodecim in Zodiaco: *Aries*, *Taurus*, &c. viginti quatuor ex Boreali, ac triginta ex Australi parte. Stellas autem in iis contentas ob variam, qua adparent, corporis sui molem in sex classes disperciunt, primæ scilicet, secundæ, tertiæ, quartæ, quintæ ac sextæ magnitudinis: nomina vero sortitæ sunt vel a rebus, quarum formas referunt, quales sunt *Triangulum*, *Corona*, *Crux*, *Ampho-*

phora, Libra, &c. vel ab agricolis, nautis
& venatoribus multum sub dio degentibus,
qui a rebus sibi familiaribus astra cognomi-
narunt, quo spectant: *Plaustra* sive *Ursa*
tum major tum *minor*, *Equus*, *Lepus*, *Aries*,
Taurus, *Leo*, *Canis*, *Draco*, *Navis*, *Pisces*,
Caper, *Aquila*, &c. vel a Poetis, qui aterni-
tati res memoratu dignas transmissuri cœlo
intulerunt *Argonautas*, *Andromedam*, *Cen-*
tauros, &c. vel denique ab Adulatoribus,
qui sua aliorumque nomina stellis imposue-
runt, ut *Herculis*, *Persei*, *Cassiopeæ*, *Gemino-*
rum, *Orionis*, &c. Antiqua enim supersti-
tio, quos apotheosi honorare volebat, in
astra transtulit, etiam sceleratos, ut ex alto
fulgentia crimina hominibus commendar-
rentur: quin prope in ferarum stabulum mi-
grare cœlum jussit. His adjungendæ sunt
stellæ informes, seu quas *Sporades* dicunt,
quæ ad nullam certam in globo imaginem
seu asterismum relatæ, velut grex dispersus,
vagabantur; sed temporis successione in
ordinem redactæ, & certis quoque limitibus
circumscripctæ, ac cœlestibus mappis inser-
tæ fuerunt. Præterea hinc & inde in cœ-
lo nebulæ seu maculæ candidæ conspicun-
tur, quæ, ut oculo vitris armato & cu-
ratius eas examinanti patet, nonnisi exi-
guarum stellarum instar acervi confita-
rum congeries sunt, vocanturque Astrono-

mis Stellæ nebuloſæ. Has exhibent globi melioris notæ, ſuntque *Præſepe in Cancro*, *Caput Persei & Orionis*, *frons Capricorni &c.* Hujusmodi nebula major ſive Itria albicans, quam *viam lācteam* ſeu *galaxiam* adpellant, per traictum ſatis magnum, & in orbem ferre circumductum ſeſe diffundit per Aquilæ, Cygni, Cassiopeæ, Persei & Aurigæ aſteriſmos. Hanc fabulis devota antiquitas Deorum cœlos obambulantium ſemitam credebat.

Atque hæc ſunt, quæ in cœlo artificiali ſeu globo cœleſti intuenda, viſuque digniſſima ſeſe oculis objiciunt, magno ſane, quod ars ſcientiæ huic ſubministrat emolumenſo. Nam ut reliqua nunc silentio præteream, totius cœli ſiderei notitia facile labore temporisque compendio comparari potest. Globo enim rite ad polos conſtituto, cognitoque uno aſteriſmo vg. Ursæ majoris minorisve, reliqui omnes absque diſſiſtatiſe in convexa ejusdem ſuperficie, eo quem in cœlo obtinent loco & ſitu, decenzer depicti notatiq;e, præſertim vocatis in auxilium grandioribus mappis aſtronomicis Aſteriſmorū figurās diſtinctius referentibus, deprehenduntur. Verum facta hac globi cœleſtis explanatione Aſtronomia progreditur ad practicum ejusdem uſum, & varia ſiderum phænomena,

præ-

principue quæ ad situm eorum pertinent, explicanda tum per definitiones, tum per problemata, scilicet locum stellæ physicum, parallaxin, aspectus diversos, declinationem, longitudinem, latitudinem, altitudinem, azimuthum, culminationem, amplitudinem ortivam & occiduam, elongationem, ortum & occasum, meditationem cæli, seu ascensionem rectam vel obliquam stellæ, &c. quæ tamen sine ipsa globi tractatione frustra declarantur, nec bene addisci possunt. Quare gradum faciamus ad motum explicandum, & quidem illum, de quo stellæ omnes certa lege participant, quiique cunctis communis esse solet.

LXII.

Motus primus omnium siderum communis.

Centrum primi hujus motus, quo universus siderum chorus ab oriente in occidentem magnis passibus tendit, est oculus spectatoris in telluris superficie constitutus. Quum enim terra vastissimæ cæli machinæ comparata punctum duntaxat esse videatur, nec ullam ad superiores quoque planetas sensibus obnoxiam proportionem habeat, parum refert, sive ex centro sive ex telluris superficie siderum motui invigiletur. Porro axis primi motus est li-

nea recta, quam per centrum terræ ad utrumque mundi polum extensam imaginari solent Astronomi, & circa quam sidera in gyrum agitata circulos paralelos describere videntur, eo minores, quo polis viciniores fiunt, eoque majores, quo ab iis sunt remota. Regula vero & mensura omnis motus est Æquator: Meridianus autem certum illi terminum statuit, in quo exordium finemque calculus astronomicus nanciscitur. Ad hunc enim Meridianum tanquam ad portum ubique locorum singulis diebus æquali vix non spatio omnes stellæ per æthera navigantes adpellunt. Denique tempus periodicum primi motus quotidiana siderum omnium intra viginti quatuor horas æquales circuitione, quam *revolutionem* dicunt, ut plurimum definitur, quamvis si unum alterumve seu circulum seu sidus respiciamus, pro sphæræ diversitate aliquam quoque variationem patiatur. Jam vero in sole siderum principe motus primus, si ad horizontem referatur, diem (quem artificialem vocant, utpote artificiis exercendis opportunam) mortalibus assert, quando supra eundem eluctatur; noctem, quando infra illum descendit: si vero ad Meridianum, diem constituit naturalem, unica corporis solaris circuitione in duas veluti portiones æquas distinctum, non ita

tamen, ut uni ejusdem parti lux, alteri te-
nebræ cedant, sed utaque tam de luce
quam de tenebris particeps fiat, a media
scilicet nocte numerando ad meridiem, &
a meridie rursum ad medium usque no-
ctem. Atque hac diem naturalem deter-
minandi ratione præ altera artificiali utun-
tur Astronomi, opportuno sane consilio,
quum Meridianus ubique locorum in sua
statione firmus persistat, quamvis diversa
loca diverso quoque gaudeant meridiano
sibi proprio & accommodato. Nihilomi-
nus tamen sol quotidiana circuitione non
cum eodem, sed alio semper gradu eclipti-
cæ ad meridianum revertitur, cuius rei
duas Astronomi caussas in medium afferunt,
scilicet tum obliquam eclipticæ viam, qua
non circulum in cœlo, sed veluti spiram in-
star fili cylindro circumducti describit: tum
solis motum secundum, seu quem sibi pro-
prium vendicat. Æqualis enim ab ortu
ad occasum accessus (qui motus primus)
simulque ab occidente ad orientem rece-
sus (qui motus dicitur secundus) eodem in
corpo motum integræ Æquatoris circui-
tioni seu *revolutioni* inæqualem producant
necessæ est: unde singulis diebus sol non
æquo cum Æquatore passu (nempe 59.^{8.} tardiore)
se sub Meridiano sistit, ita ut pri-
mum exacta circuitione annua dierum 365
& qua-

& quadrantis diei unius (seu horarum sex) post emensos 360 \AA equatoris gradus ad idem \AA equatoris punctum revertatur. Atque ita motus hic solis diurnus, si cum proprio misceatur, inaequabilis est origo & caussa inaequalitatis illius, quæ in dierum naturalium fluxu notatur. Diversa omnino est primi motus in fixis sideribus ratio. Nam hæc paullo citius, quam viginti quatuor horarum spatio periodum suam absolvunt, & ad Meridianum, unde digressa sunt, redeunt. Quamvis enim proprio sibi motu, uti sol, ortum versus progredi videantur, tamen quia motus hic tardior est illo, quo sol gaudet, eundem suo ad Meridianum accessu præveniant necesse est. Itaque ut paucis dicam, fixa sidera revertuntur ad Meridianum tanto fere citius, quanto longius sol a priori punto intra diei naturalis (qui sole ad Meridianum accedente absolvitur) spatium recessit. Hac ratione contingit, ut noctu alia atque alia sidera vices alternando in locum priorum succedant, donec anni unius spatio totus siderum exercitus supra horizontem nostrum emergens (exceptis Australibus, quæ infra illum perpetuo latent) se nobis præbeat conspicendum, provido cœli consilio. Nam si stellæ æquali cum sole motu circumirent, nonnisi unius hemisphærii lucentes incolas in-


intueri liceret, solis præsentia cæteras omnes occultante.


Reliqui planetæ, quo sole tardiores motu suo proprio incedunt, eo citius: quo velociores, eo lentius metam primi motus attingunt. Quippe quum sol suo ad Meridianum reditu diem naturalem conficiat, necesse est, eos planetas, qui ultra solem motu suo excurrunt, tardius: qui vero solis cursum non assequuntur, citius ad motus primi terminum seu Meridianum deferri: hos nimirum prius, illos posterius, quam dies naturalis sit absolutus. Unum adhuc motus primi arcanum superest explicandum. Evidem sol & stellæ omnes motu hoc communi semper supra horizontem eluctantur, semper ad Meridianum divertunt, semperque rursus infra horizontem merguntur. Verum circuitus pro locorum diversitate nunquam non est diversus; quum enim telluris rotunda sit figura, vel saltem non adeo multum a rotunda deflectat, cœlique tegmen omni ex parte supra eam sit expansum, atque oīnnia sidera perpetuo agitentur motu, oportet ut locus quilibet sibi proprium habeat punctum, quod *Verticale* vocant, proprium horizontem, proprium Meridianum, ita ut sol stellæque omnes per totius cœli decursum

sum ex uno horizonte in alium, ex uno Meridiano ad alium progrediantur, atque ita motus primus cunctorum siderum semper incipiat, semperque finiatur, ac ubique terrarum e quatuor & viginti horis singulas numerare liceat. Jam vero tempus, quo sol ad Meridianum adpellit, quamvis omni loco Meridiem promulget, pro locorum tamen varietate varium est. Hinc contingit, ut quæ uni loco duodecima, ea ipsa sit illis, qui ad Orientem vergunt, pomeridiana, qui vero ad occidentem, antemeridiana. Atque rei hujus ignorantia tum in Chronologia, tum in eclipsium tempore determinando in graves non raro errores præcipitat eos, qui ad Meridianorum diversitatem, & maxime ad primum, a quo respondens certo loco meridianus numerari cœpit, Meridianum non attendunt.


Sequitur Pars II. Astronomiæ.











Ad finem Tom. V.

Oceanus Septentrionalis

Oceanus Concretus

Scythicus

Tab. II. de Geogr. N. XXI.
AMERICÆ PARS

Sarmatae

SCYT HIA

Lare
Serichum

Mare Med
AFRI
CÆ
PARS

S I A


CHI
NA


Chinawig

Mare
Indi-

Pegu
OPHIR

*Civitas David. s. M. Maria Templo
Salomonis. s. M. Sion Regum Palatii.
4. Ierusal. Vetus. s. Civitas Manasse. 8.
Medabaccer. s. M. Calvarie. 9. Oliver-
ton. s. Vallis Iacobaeum Terrae Cedren-*







大清國志卷之三


三十二

三月



三月






Oceanus
Atlanticus



Oceanus
Occidentalis







ARCHI
AUGUST

In

e

glo

to

E

T

TOPIC




СИДИ СИДИ






XXXV

224









A M E R I C A N E D I T I O N


ORDO
MORUM



ORDO
IONICUS





ORDO
TEUTONICUS




Б. С. Г. А.
М. А. А.

ОДНО
СЛОВО







ORDO
ROMANUS




ORDO
CORINTHIA-
CUS




ALBERTI
VITRUVIO





OPUS EXTERIUS.

1. *Fossa aa.*
2. *Via tecta bb.*
3. *Parmula cc.*
4. *Lunula dd.*
5. *Forceps simplex e.*
6. *Opus cornutum g.*
7. *Opus coronatum h.*



OPUS INTERIUS.


1. *Polygonum Internum ABCDE.*
- Externalum FGHIK.
- Interni latus AB &c.*
- Externi IH &c.*
- Centrum utriusque Poligoni T.*
- Radius utriusque TA. TF.*
2. *Propugnaculum XFZM.*
- Centrum A.*
- Facies XF*
- Ala LX.*
- Linea Capitalis AF.*
3. *Cortina LR.*
- Linea Figens OL.*
- Stringens QG.*
- Ala PO.*
4. *Anguli centri ATB.*
- Polygoni EAB.*
- Propugnaculi XFZ.*
- Defensionis IPC.*
- IPD.*
- Decessationis c. a. b.*
- Faciei et Ala FXL.*
- Ala et Cortina RIX.*
- Capitalis FAB.*
- Diminutus IHV.*


CHIESTA V. 100. 100.

LA PREGHIERA DELLA


v

wall

E.
m.
la-
u-



A. Civitas. B. Diribitorium. C. Forum. D. Domus. E. Plateæ. F. Arcu seu Castellum. G. Ædes Praefecti Suprem. H. Propugnaculum. I. Suggestus. K. Recessus. L. Ambula-
crum Valli, Cortina, Lorica &c. M. Parvula. N. Semili-
na. O. Forceps. P. Opus cornutum. Q. Coronatum.




卷之三



*lista
implex*















*ilista
simplex*







II.



V.

Ad finem Tom. V

Tab. XV. de Arch. Milit. N. LIII.

Obsidio per coronam.








Obsidio per machinas.





Lit. N. LV.





WILHELMUS DE LINDENSTADT



